



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Liber Nonvs. Non falsum Testimonium dices.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

LIBER NONVS, IN DECALOGVM.

Non falsum testimonium dices.

Falsum testimonium affers contra proximum, primò intra te ipsum, si temerè de illo judicas; secundò, coram iudice, si falsò eundem proximū denuncies, accuses, infames, &c. tertio, coram non iudice, si de eodem perperam obloquaris; de quibus omnibus hic erit breviter disputandi locus.

CAPVT PRIMVM.

De falso, seu temerario iudicio.

Discrimen inter dubitationem, suspicionem, opinionem, & iudicium.

Hæ quatuor voces, dubitatio, suspicio, opinio, & iudicium, in hac re nostra, sic differunt. Si intellectui proponatur aliquod obiectum, circa quod debeat judicare aliquid, de quo sufficientia indicia minus apparent, unde is hæreat, nesciatque, an affirmare potius debeat, an negare, dicitur esse dubius; & si quidem intellectus tunc veluti suspensus & perplexus nullum actum eliciat, dicitur dubitare negativè; si verò eliciat actum, quo se dicit dubitare, dubitabit adhuc negativè; sed quia additus jam est ejusmodi actus quasi reflexus, dicitur ab aliquibus dubitare positivè.

2. Quod si intellectus, ex insufficientibus indicijs, incipiat adhærere uni parti, licet imperfectè, & cum magna formidine oppositi, dicitur ejusmodi actus suspicio propriè dicta; si verò ex iisdem insufficientibus indicijs adhæreat uni parti determinatè, licet cum aliqua formidine oppositi, dicitur opinio: unde advertis, suspensionem propriè dictam, esse veluti inchoatam & imperfectam opinionem, ab eaque distinguere secundum magis & minus.

3. Si denique firmiter intellectus uni parti adhæreat ita, ut saltem moraliter de re non dubitet, dicitur iudicium certum elicere. Dixi (saltem moraliter) id enim satis superque est ad iudicium certum practicè: nam ad iudicium certum speculativè, debet addi evidentia, per quam judicet intellectus, aliter rem se habere metaphysicè non posse.

Conditiones requisita, ut iudicium sit mortale.

4. Iam verò certum est primò, iudicium temerarium ex se esse peccatum mortale, quia sic gravis contra iustitiam injuria fit proximo. Neque valet dicere; probabiliter docent nonnulli non esse mortale, etiam sine causa, crimen os-

men occultum uni, vel duobus prudentibus rem non evulgaturis manifestare, quia id non est infamare, nec ex eo, saltem notabiliter, fama alterius laeditur, ergo neque erit mortale, apud se solum rem non evulgaturum, certo judicare perperam de altero. Non valet, inquam; is enim, non dicit nisi verum; at in casu nostro certo iudicat malum grave ex insufficientibus indicijs, quod ex vi illorum falsum est. Et sanè graviter quis proximo injurius esset, si crimen falsum de eo, etiam uni propalaret.

a modo mox explicando c. 3. §. 2. n. 7.

5. Quatuor autem conditiones requiruntur ad contrahendum hoc mortale. Prima conditio, ut iudicium sit plene deliberatum: hinc si cui, dum videt hominem egredientem ex aliena domo, repræsentetur, eum esse furem, is non verè iudicat, sed potius ei proponitur objectum, de quo est iudicandum; proponitur autem vel ex suggestionem Dæmonis, vel ex quadam naturali sagacitate naturæ. Cum igitur tunc ne iudicium quidem adhuc sit, sed repræsentatio ejus, quod iudicari debet, iudicium temerarium esse non potest. Rursus usu venire non rarè solet, ut intellectus ex se, sine voluntatis motu deliberato, iudicet aliquid finitum; & tunc, cum potius sit actus primo primus, quàm voluntarius, verè iudicium temerarium (quod, ut sit mortale, debet plene voluntariè procedere) nequaquam erit.

6. Secunda conditio, ut sit in re gravi, quia secus, levis erit injuria. Colligitur autem hæc gravitas, ex qualitate & professione personarum, de quibus sit sufficientia.

judicium. Vnde grave non erit, temerè certò iudicare de milite, quod hostem quærat ad vindictam, de juvene parum honesto, quod ex pravo fine per aliquem locum transeat; quia ipsi de ejusmodi criminibus gloriantur; quare non iudicantur honoris læsionem pati. Contra erit, si temerè certo iudices de probò Episcopo vel Religioso, esse mendacem &c. Propter eandem rationem, certò temerè iudicare, aliquem esse illegitimum, ex ignobilium vel hæreticorum, vel Hebræorum familia, videtur afferre injuriam b gravem proximo, quia inter homines probos, hæc multum æstimantur, ne à publicis honoribus & officijs arceantur. Verum vide, quæ dicam c inferius ex Lessio.

b *Dicastill. li. 2. de just. tr. 2. d. 12. p. 1. d. 3. n. 41. c inf. c. 3. §. 2 n. 4.*

7. Tertia conditio, ut iudicium sit certum moraliter: secus, ut modò dixi, non esset iudicium, sed suspicio, de qua mox.

8. Quarta conditio, ut sit ex levibus conjecturis & insufficientibus indicijs; nam si ex sufficientibus, non erit temerarium, sed prudenter elicited iudicium.

9. Sed ecce non exiguam difficultatem. Quomodo enim dignoscam, indicia esse, vel non esse sufficientia? Dico, id tandem prudentis arbitrio esse iudicandum; regulam tamen hanc dari posse: quoties indicia non sunt proportionata ad tale iudicium, id est, quoties indicia ex se, aut ex communi hominum usu sunt indifferentia, aut rarè conjuncta cum tali effectu, dicuntur improporcionata, atque adeò in-

Vuu 3

Si vero

Si verò solent esse ut plurimum conjuncta, proportionata erunt, & sufficientia. De nocte quis v. g. fenestram alienæ domus, scalarum adminiculo, occultè aperire tentat: hoc indicium est sufficiens, ad judicandum, illum esse furem. De die quis bonæ famæ transiit per viam, ubi mulier inhonesta degit, hoc indicium sufficiens nequaquam est, ut credas, illum esse adulterum. Fateor, non esse unum indicium tantummodo expendendum, sed complexiorem omnium; contingit enim sæpe, ut unum alterum adjuvet, vel minuat, vel omnino tollat. Fac enim, te videre aliquem de die, coram viciniâ, fenestram per scalas aperire velle, potius, si prudens es, putabis, ipsum clavem propriæ domus amisisse, quam moliri furtum. Lege Dicastillum c. c. qui per aliqua indicia, quoad hanc praxim, rectè discurret.

cc Dicast. lib. 2. de just. t. 2. dup. 12. p. 1. dub. 2.

De Ignoto quidpiam judicare mortale non est.

10. Certum sit secundò, temere judicare in re gravi de aliquo tibi prorsus ignoto, non esse mortale, quia moraliter perinde est, ac si de nullo judicares. Videat quis, v. g. hominem de nocte caput habentem pallio coopertum, vel transeat per loca sibi ignota, incidatque in homines sibi nullo modo cognitos, hic si temerè judicet de illo, & de his, non peccat mortaliter, quia nemini facit injuriam. Quod si fortè deinde veniat in eorum notitiam, se gerere pru-

denter debebit, nec nisi juxta conjecturas judicare.

Solum suspicari de re gravi, nunquam est mortale.

11. Remanet ergo incertum, an suspicio deliberata in re gravi, & sine sufficientibus indicijs, atque adeo temeraria, sit culpa mortalis? sub nomine autem suspicionis includimus, siue dubium, siue suspensionem improprie dictam, siue opinionem. Nonnulli dicunt, esse mortalem; non esse, alij contendunt. Porro prævides, mihi hanc benigniorem placituram. Fateor, te rectè prævidisse. Et ratio, quæ me movet, ea est, quam assert S. Thomas e, quia suspicio in genere judicij est actus imperfectus, atque adeo non est plene temerarius, neque necessariò conjunctus cum contemptu, saltem gravi proximi: ergo sicuti cætera peccata contra justitiam, non sunt nisi venialia ex parvitate materiæ, ita in casu suspicionis. Antecedens patet, quia ubi non est perfecta certitudo, non est perfecta temeritas, nec est læsio gravis, quando ille, qui sic suspicatur, habet actualiter, vel saltem virtualiter formidinem oppositi, & quasi facile est paratus ejusmodi suspensionem deponere; id quod totum, quasi essentialiter imbibitur in ipso actu suspicionis, & reliquis illis, de quibus est sermo.

c Salas, Bannes, Arag. apud mox citandos. d Caetan. Petr. Nav. alijque apud Dicastill. l. c. dub. 4. n. 46. quibus adde Less. l. 2. c. 29. du. 8. Mol. tr. 4. de just. d. 16. concl. 3. Azor. 3. p. l. 13. c. 11. dub. 3. e S. Thom. quodlib. 12. art. 34.

12. Per

12. Per accidens tamen suspicio esse mortalis potest: primò, si procedat ex odio gravi, id est, si quis licet videatur rem posse non esse, tamen ipse propter odium inimici delectetur de malo gravi ipsius; ut si quis suspicetur, esse mortuum suum inimicum, deque ea morte sibi complaceat; quod tamen peccatum non contra Iustitiam, credo, foret, sed contra charitatem, quia non delectatur, nisi de malo inimici, quod est contra charitatis virtutem; nisi forte delectetur de ipsa iniustitia malæ suspicionis, quod certe rarissimum erit.

13. Secundò, si suspicans adderet interius aliquod aliud malum, ut si quis, ex illa levi suspicione, graviter contemneret proximum, ac si re vera illud peccatum is commisisset.

14. Tertiò, si sic suspicans procederet ex illa suspicione ad damnum notabile inferendum exterius proximo, ut si iudex lex levibus indicijs reum condemnaret, vel superior religionis subditum puniret &c.

15. Quartò, si suspicionem quis alijs manifestet: nam ex manifestatione rei gravis, quamvis dubiæ, regulariter fama, immò non raro bona proximi, exponuntur gravi periculo: experientia enim constat, cum de aliquo homines dubitant, faciliè contemnere, eidemque detrudere, atque officia honoresque denegare. Quod si quis uni, vel alteri timorata conscientia suam patefaciat suspicionem, unde prudenter censeatur, non adesse ejusmodi vel simile periculum, sanè excusaretur, saltem à mortali. manifestare autem ijs, quibus potest aut ex aliquo capite debet, nullum esse peccatum, dubium non est.

16. Addunt denique plures, fore mortale peccatum suspicionis, delibèratè suspicari de persona honesta & proba aliquid enorme, ut hæresim, vel incestum, vel sodomiam de probò Episcopo &c. Ratio est, ajunt, quia huic dignissimæ personæ per ipsam suspicionem, quamvis levem, fit gravis injuria. Verùm ab hac sententia semper discessi, ut discessit Layman f: si enim est suspicio, semper erit ex genere suo levis.

f Laym. l. 3. sc. 5. tr. 3. p. 2. c. 2. n. 6.

17. Obijcies. Homo potius eligeret amittere decem aureos v. g. quàm bonum suum nomen, etiam per levissimam suspicionem, apud unum vel alterum, ergo si amittere decem aureos res est gravis, erit & id, de quo loquimur. Confirmo primò, quia verè majus est bonum & nobilius, ordinis-que altioris fama, quàm pecunia, ergo etiam levissima famæ jactura gravior erit, quàm notabilis jactura pecuniæ. Confirmo secundò, quia si amicus sciret meam suspicionem contra ipsum, averteretur à mea amicitia, ergo signum est, hujus generis suspicionem graviter amicum lædere.

18. Respondeo. Quando suspicio est in genere suspicionis, atque aded ex se leve malum, nullumque effectum graviter malum post se trahens, neque ex odio procedens, nullus homo prudenter eligeret, potius amittere decem aureos, quàm illam pati. Ratio est, quia suspicio illa, cum fiat ex nostra humana fragilitate, adversus quoscumque, vel sanctissimos viros, juxta illud sancti Augustini, g. *Suspiciones evitare non possumus*, non debet judicari prudenter, læ-

ter, læsionem afferre notabilem. Ad confirmationem respondeo, esse quidem famam ex se altioris ordinis, tamen in suo ordine aliquando posse esse levem, ac propterea ejus ablationem non esse mortalem. In his autem rebus moralibus non valet argumentatio ab uno ordine ad alium; secus, lædere modicissimè in honore per levissimam injuriam, mortale esset, quia honor ex se est nobilioris ordinis, quàm sint omnia bona temporalia. Ad secundum pronuncio, irrationabiliter illum amicum fore avertendum ab amicitia, ob levem suspicionem coamici, cum omnes parati esse in hac valle nostræ fragilitatis debeamus, ad tolerandas hujus generis suspensiones, quæ non insurgunt ex odio, nec malum pariunt effectum, quæquæ non rarò ex amore procedunt; de carissimis enim amicis mala subinde suspicamur, quia mala in illis adesse nollemus.

g *S. August. citatus à S. Th. 2. 2. q. 60. art. 3.*

19. Atque ex dictis denique collige, *h* rarò lethaliter peccari per temerarium judicium: quis enim, nisi ex gravi illo odio, vel ex magna stultitia, certò judicat, ex indicijs non certis? immò etiam hic stultus culpam mortalem sapissimè vitat, quia regulariter potius errat errore intellectus invincibili, putans, illud indicium esse certum, atque sufficiens, quàm ex prava voluntate.

h Mol. tr. 4. disp. 13. num. 4. Dicast. li. 2. sr. 2. d. 12. p. 1. dub. 3. nu. 35. loquentes de viris timoratis.

CAPVT SECVNDVM.

De falsitate in Iudicijs publicis.

Solent hic authores, non de falsitate solùm agere intercurrente in Iudicijs, verùm etiam de cæteris culpis ad judicia spectantibus, atque adeò ad judicem, reum, accusatorem, testem, notarium. Iisdem ego vestigijs insistam, modò te, lector, admo- neam, ea dumtaxat à me breviter esse tractanda, quæ frequentiora sunt, cætera legantur à curioso apud doctores, quos in margine jam jam laudabo.

§. I.

Judex.

DE judice nonnulla delibavi in libris præcedentibus: primò, *a* an reum secundum allegata condemnare valeat, quem privata scientia judex novit innocentem? secundò, *b* an sententiam ferre queat, juxtà minus probabilem sententiam? tertio *c*, an ex levibus indicijs condemnare valeat reum? quarto *d*, an pretium accipere possit judex pro sententia justa vel injusta? quinto, *e* quo modo se gerere debeat in malefactoribus puniendis? nunc tria, quæ præ cæteris scitu sunt necessaria, de eodem judice proponam; primum erit de modo procedendi ejusdem; secundum de muneribus ab ipso non accipiendis: tertium de muneribus ipsi non dandis.

a sup. lib. 6. c. 1. §. 4. à nu. 8. b supra lib. 1. c. 8. §. 4. li. 8. tr. 3. c. 7. §. 1. n. 13. Modum

c paulo ante c. 1. nu. 14. d. sup. lib. 7. r. 5. n. 13. & 14. c. sup. lib. 6. c. 2. §. 4. prefertim a num. 5.

Modus procedendi.

2. Quidnam requiritur, ut iudex iudicē procedat? respondeo, f. duplici modo eos posse procedere, vel per viā inquisitionis, vel ad instantiam partis, per viam accusationis.

f. l. Sanch. Les. Delug. mox citam. & Dicaftil. lib. 2. de iustit. tr. 1. d. 5. dub. 3.

3. Si procedat hoc secundo modo, requiritur semiplena probatio, ut iudex possit reum interrogare, & torturā subijcere; secus, tenetur de damno, & confessio à reo facta non esset valida: semiplena autem probatio est, cum adest unus testis omni exceptione maior, deponens, se vidisse; vel si adsunt vehementia quædam indicia &c.

4. Si procedat primo modo, inquisitio vel est generalis, vel specialis, vel mixta. Generalis est, quando inquiritur in genere, an subditi seruent leges &c. specialis, quando inquiritur in particulari, an Paulus v.g. homicidium commiserit? mixta, quando inquiritur de persona determinata, v.g. de Paulo, non tamen de determinato delicto; vel contra, quando de delicto determinato, v.g. de homicidio fortē patrato, sed non de persona determinata.

Dico igitur primò, ad generalem inquisitionem à iudice instituendam non requiri, ut præcedat infamia, sed tunc interrogati non debent patefacere eos, qui occulta crimina perpetrarunt, etiam si sub iuramento, vel excommunicacione illis præcipiatur, ut quod sciunt,

proferant; possunt enim, ac debent per æquivocationem dicere, se nescire.

Dico secundo, ad specialem requiri, ut præcedat infamia authoris, vel ut rumor de eo sparsus sit per maiorem partem vicinæ, vel aliud æquivalens: id autem est ad inquirendum; nam deinde ad interrogandum reum vel subijciendum torturæ, requiritur semiplena probatio, ut dictum est.

Dico tertio, quoad mixtam, legendum esse g. Lessium, sicuti etiam esse legendos h. alios, quoad alia huc pertinentia: nobis enim satis sit, hæc pingui calamo innuisse ad dandam tironibus cognitionem terminorum.

g. Less. lib. 2. c. 29. num. 109. h. Sanch. lib. 6. conf. c. 2. Delug. t. 2. de iust. d. 37. à sec. 6. aliosque ab his citatos.

Munera à Iudice non acceptanda.

5. Non est sermo i. de iusto stipendio ipsis constituto, siue ex lege, siue ex consuetudine, siue ubi illæ non adsunt, ex pacto; neque de pretio, quod is fortē accepit pro eo, ad quod ex Iustitia non tenebatur; ut si noctu ad longum tempus vigilaverit, quò causam expediret. Si longum iter suscepit. &c. Nec de muneribus ipsi datis ab alijs à litigantibus, vel datis consanguineis, amicisque ex alijs titulis: hæc enim siue stipendia, siue dona ex nullo capite iniusta supponuntur. Nec de illa quæstione, an pro liberandis reis liceat supremo iudici, pecuniam accipere; ea enim huc non pertinet, & de illa poterit legi Diana l. Nec de illa alia, an iudex possit pecuniam accipere pro eligenda sententia probabili; de hac enim breviter,

X x x

sed sus-

sed sufficienter dixi lib. 8. Tr. 3. c. 7. §. 3. num. 13.

i l. Dicast. li. 2. de just. tr. 2. d. 6. dub. 4. n. 64. 1 Dian. p. 7. tr. 6. ref. 1.

Sermo igitur est de ijs muneribus, quæ ad movendum judicem solent à partibus dari. Et quidem Petrus m Navarra atque aliqui n ex Societate, putant, posse judicem accipere munera à partibus, ut ab amicis, vel personis dignis donata, sed non ad movendum animum; id quod tamen non placet Dicastillo o, quia sic sternitur, inquit, via ad omnia munera accipienda. Nam propterea nos absolute hinc quærimus, an ejusmodi munera sint illicita, & restituenda? esse communiter à Rep. profliganda, certum esto, quia ex Ecclef. 20. Xenia, & dona excacant oculos judicum. nihilominus ad trutinam Theologicam si id expendamus, ita distinguendum est.

m Pet. Navar. lib. 3. c. 3. n. 22. n aliqui apud Dica. mox citan o Dicastill. lib. 2. de just. tr. 2. d. 6. dub. 4. n. 80.

6. Præscindendo à juramento, quod alicubi emittitur de non admittendis muneribus, quod omnino est observandum, & præscindendo à legibus positivis, de quibus postea, vel munera ita accipiuntur à judice, ut ab illis nec moveatur ad injustitiam, nec periculum grave & proximum sit, ut ad eandem afficiatur, & tunc jure naturæ, nec illicita nec restitutioni sunt obnoxia; hujus generis regulariter sunt munuscula ex esculentis, vel ex rebus parvi momenti. Ratio est, quia tunc non adest caput, nec ullius culpæ, nec ullius pænæ. Vel ita accipiuntur, quocumque fine à parte dentur, ut judex ad injustitiam

afficiatur, vel ut proximum sit periculum ad illam; & tunc dico primo, illicitè accipi. Dico secundo, esse obligationem restitutionis, ante causam expeditam. Dico tertio, non esse restituendi obligationem p finita causa. Ratio primi dicti est, quia qui amat periculum tam proximum, peribit in illo. Ratio secundi dicti est, quia, ut alibi universaliter diximus, judex obligatur ad removendum illud periculum suæ subversionis; at nunc munera retenta illud afferunt, ut supponimus, ergo. Neque judicem ullo modo q excuso ab hac citata restitutione, ex eo capite, quod inurbanus videretur, si munus litiganti remittat: non, inquam, excuso, tum quia ex ea remissione potius honorem ex affectu ad justitiam, quam dedecus ex inurbanitate, sibi apud omnes conciliaret; tum maximè, quia si supponis eum per illam retentionem muneris, esse in periculo proximo peccandi, qua ratione sola inurbanitas, nisi accedat alia notabilis necessitas, eundem excusare ab eo periculo cavendo possit? commodius igitur huic judici remedium erit, per poenitentiam, confessionem, & alia opera devotionis se constanter munire, ne injustitiam faciat; nam sic si probabiliter prævidet constantem se futurum in bono proposito, jam non erit in proximo periculo peccandi; quod si id probabiliter habere non possit, restitutionem omnino expediat, necesse est. Ratio tertij dicti est, quia si litigans verè dedit gratis illa munera, transtulit dominium in judicem, & finita causa, jam non est amplius locus illius periculi.

p l. Mol. r. 1. tr. 2. diff. 88. Less. lib. 7. Venio

2. f. 14. dub. 9. usq. t. 2. in p. 2. d. 164. Rebell. l. 18. de donat. qu. ult. Delug. mox citandum sec. 11. nu. 134. ubi solvuntur aliqui textus in contrariu. q. ut excusat in aliquo casu Delugo t. 2. de just. d. 37. sec. 11. n. 130. r. l. nostram Meth. Conf. lib. 3. c. 3. adde Caramuelem in Reg. S. Benedicti nu. 1506.

7. Venio ad leges humanas Iuris communis, & pro iudice seculari duo dico. Primò, probabile mihi esse, si à iudice munera, etiam contra leges has acceptata fuerint, non esse s. obligationem restitutionis, ante sententiam. Ratio est, quia in his legibus non adsunt verba clarè impediencia translationem domini in iudicem, & ex alia parte restitutio ab iisdem legibus videtur imposita in poenam, atque adeo non urget ante sententiam; post sententiam obligatio urgebit, quia iustæ sententiæ semper est standum, ut omnes t. docemus.

s. Dicast. l. c. nu. 82. t. l. Delug. t. 2. de just. d. 37. sec. 15. à num. 185. ubi, quid, quando vel est injusta sententia, vel præscriptioni falsa innixa.

Dixi (venio ad leges Iuris communis) nam proprias quisque suas consideret, ut Hispanas consideravit pluribus Sanchez n.

u. Sanch. in Confil. lib. 3. c. unico d. 1.

Dico secundò, (præscindendo ab eo, quod modò dictum est, esse de jure naturæ) iudices seculares non peccare, saltem mortaliter, ex eo solo capite, quod adversus has leges seculares operentur. Ratio est, quia o aliqui probabiliter censent, seculares leges, saltem de facto, ad mortale nequaquam obstringere, nisi id expresse declarent.

o Nav. Covarr. Valent. alijque apud Castrop. d. 1. de leg. p. 15. n. 6.

8. Iam verò superest dicere de Ecclesiasticis iudicibus, sive ordinarijs, sive delegatis: de quibus item assero duo.

Assero primò, præscindendo similiter à jure positivo, etiam si illicitè iudex Ecclesiasticus agat, acceptando munera, non obligari ante sententiam ad restitutionem. Ratio est eadem, quæ modo num. 7. dicta est de iudice seculari. Excipe, nisi sint accepta pro ferenda sententia iusta, de qua re alibi p. diximus. Excipe item, nisi accepta fuerint, ratione visitationis: sed id est de jure positivo, ut paulo post num. 10. dicam. Excipe demum, nisi intercurrat simonia, ut ex se patet.

p. sup. lib. 7. c. 5. §. 3. præfert. 13.

9. Assero secundò, quoad culpam, considerando solum jus positivum, (nam quid prohibeatur de jure naturæ, dictum est superius universim nu. 6.) me non invenire verba in sacris canonibus clarè denotantia obligationem sub mortali: quamvis enim id graviter prohibeatur, tamen rigidior vox, quam invenio, est, *Mandamus*, quæ obligationem ad mortalem culpam ex aliquorū q. sententia non ostendit. Quod si jubeatur, r. acceptum restitui, id intel. liget quis, post sententiam, sicuti modò dictum est de iudice seculari. Proferantur canones. Non quod pro certo asseram, non adesse prohibitionem sub mortali, lego enim, doctores rigidissimè invehi contra ejusmodi munera, sed ut rem considerandam sapientioribus offeram.

q. Azor p. 1. lib. 5. c. 6. q. 5. à v. lex

xxx 2

10. Sanè

n. 6. & universim Caet. in summa v. Clericorum peccata. versus finem.

r. c. statutum, §. si quid autem, de rescriptis in 6.

10. Sanè (inquit pontifex) ad audi-
entiam Apostolatus nostri pervenit,
quod cum ex delegatione nostra cau-
sas suscipitis pertractandas, more sæ-
cularium super decima litis, vel par-
te alia, pro diversa terrarum consue-
tudine, præter expensas victualium,
cum litigantibus receptis pignoribus,
pro salario convenitis. Nos atten-
dentes, quod ad hoc vobis & alijs cle-
ricis sint Ecclesiastici redditus depu-
tati, ut ex ipsis honestè vivere debeat-
tis: & infra. Ideoq; mandamus, qua-
tenus ab huiusmodi exactionibus de-
cetero abstinentes, vigore judiciarii
gratis studeatis litigantibus impertiri.

s. c. cum ab omni, de vita & honest. Clericorum.

Et alibi. Insuper, ut gratis & cum
omni puritate iudicium coram ipso
procedat, nullum munus, vel quicquid
aliud (nisi forsitan esculentum vel po-
culentum mera liberalitate oblatum,
quod paucis consumi possit die-
bus &c.) recipere à partibus, quali-
tercumque perquirant.

o. c. statutum, §. insuper, de rescriptis in 6.

Et in Decreto p. Nō licet iudici, ven-
dere justum iudicium, etsi liceat ad-
vocato, vendere justum patrocinium,
& Iureconsulto rectum consilium.

p. c. non licet 11. q. 3.

Ibidem: ille tamen q; solet, tamquā
malè sibi allatam pecuniam repetere,
qui justum iudicium emit, quoniam
venale esse non debuit.

q. c. non sanè, §. ille tamen, 14. q. 5.

11. Haftenus sacri Canones; neque
hac de re alios invenio: invenio qui-
dem alios multo severiores, hosque à
sacro concilio & Tridentino renovatos.
Sed loquuntur de visitatoribus, qui sa-
nè si munera accipiant à visitatis, pec-
cant mortaliter, & ad restitutionem te-
nentur, immò dum de casu visitationis
tam rigidè canones loquuntur, non ve-
rò sic de alijs casibus, eos in solo rigore
juris naturalis relinquere videntur.
Tantum rigorem in Visitatoribus si li-
bet cognoscere, ecce textus: caveat, in-
quit, ne ipse (Visitator) vel quisquam
suorum, aliquod munus quodcumque
sit, & qualitercumque offeratur, præsu-
mat recipere: ut non quæ sua sunt, vi-
deatur quærere, sed quæ Iesu Christi.
Quod si fuerit contra præsumptum, re-
cipiens maledictionem incurrat, à qua
numquam (nisi duplum restituat) libe-
retur. Volumus enim in his fraudem
quamlibet penitus evitari. Hæc ibi. Ad-
verte tamen, legitimas procuraciones
pro moderato victu esse concessas &c.,
adverte item, Inquisitoribus & prohibi-
tum esse, dona percipere, etiam ab offi-
cialibus, sub poena excommunicationis
latæ sententiæ.

r. Conc. Tri. sess. 24. c. 3. de reform. s. c. Romana, §. procuraciones, de censibus & exactis in 6. & confirmatur c. exigit, eodem. t. l. Trid. l. c. t. l. Sanch. lib. 1. consil. c. unico d. 2. num. 6.

12. Puto autem, in illo verbo (præ-
sumat) temperari id, quod rigidè notat
Glossa 11. dum innuit, Visitatorem, ne
esculenta quidem, & modicæ conside-
rationis munera posse recipere, quam-
vis, per c. statutum, citatum, possit ea-
dem recipere iudex Ecclesiasticus, extra
visita-

visitationes: puto, inquam, temperari. Cum enim illud (præsumat) temeritatem ostendat credere meritò possumus, tantum rigorem ad modica esculenta, vel ad exigua similia nequaquam extendi. Et Tridentinum loco citato hunc canonem confirmans, licet non utatur eodem verbo (præsumat) dum tamen aliud non explicuit, videtur solum idem, quod Canon voluisse.

tt *Glossa in c. Romana. §. procuratio- nes. de cens. & ex act. v. aliquod munus.*

Munera iudici, an donanda?

13. Quando iudex licitè potest accipere munera, juxta dicta, licitè & alij donant. Sed quid, quando illicitè iudex petit, vel accipit? respondeo, si ea quis dat, ad redimendam suam vexationem injustam, non peccat¹⁴. Ne sit tamen litigans facilis ad credendum, vexationem injustam intercedere, quia omnes ferè litigantes putant, se injustè vexari, cum tamen non ita sit, intercedit tamen, quando imminet periculum claræ injustitiæ, vel injustæ inæqualitatis, in expediendis negotijs, ijs prius expeditis, ob quæ munera iudex accepit.

u *Mol. l. 1. tr. 2. d. 88. Sanchez. l. 3. Consil. cap. unico, dub. 3. & communiter. Rebell. alijque apud Dicast. l. c. n. 86.*

14. Hac occasione nota, iudicum famulos, qui aliquibus propter munera accepta aditum præbent ad iudicem, alijs injustè exclusis, omnino peccare; sed tamen iisdem propter eandem rationem, dare licebit munera ad redimendam vexationem. Dixi (injustè) nam si, sine alterius præjudicio, extraordinarium favorem famulus procuret litiganti, licitè, quamvis indecorè, propter hanc causam, aliquid accipiet,

15. Nota, ea, quæ iudex, alijve recipiunt ad redimendam vexationem debere (præter peccatum) omninò restitui, quia, in vitis absolutè dominis, accipiuntur.

Denique iudicis amasiæ, quando ad sollicitandam causam munera offerre liceat, diximus lib. 5. c. 1. §. 4. n. 23.

§. II.

Reus.

An licitè aperiat occulta, vel falsa crimina testium.

QUæres primò, potestne reus ad enervandam falforum testium authoritatem, eorum occulta crimina revelare? respondeo, si alia via non datur, qua commodè testimonium infirmet, sanè potest¹⁵, sive spontè, sive compulsi à iudice, testes illi testati fuerint: quilibet enim jus se tuendi habet, cum iusto moderamine, præsertim eodem genere armorum, quo oppugnatur. Quod si alia via datur, ut item si per manifestationem unius peccati minoris sibi consulere satis posset, manifestaret autem majus, eum peccaturū, etiam contra Iustitiam, puto; sicuti eodem modo peccare supposuimus supra illum, qui se corporaliter defendendo, excedit limites necessariæ defensionis.

a *Lessl. 2. c. 31. n. 1. b sup. lib. 6. c. 4. §. 3. num. 16.*

2. Hinc sequitur primò, eum, qui accusatur de crimine, quod juridicè ab accusatore probari nequit, non solum posse negare crimen, sed etiam dicere,

xxx 3

accusa-

accusatorem calumniari & mentiri; qui enim accusat de crimine, quod probari non potest, calumniator est, & mentiri praesumitur.

c. *Pet. Nav. l. 2. c. 4. m. 348. lege etiam S. Th. 2. 2. q. 69. ar. 2.*

3. Sequitur secundò, idem esse extra iudicium. quare si quid aperuisti amico tuo, ea lege, ut nihil diceret, ipse autem manifestavit alteri, cum gravi offensione tua, vel alterius, potes tu negare, te id aperuisse. Quilibet enim habet jus tegendi, quantum potest, sua dicta & facta, unde nascatur offensio. Quod si amicus patefecit in casu, quo licet poterat, tu illum sine injuria non posses ut mendacem pronunciare.

4. Hæc passim in ore sunt omnium; illud singulare est, & difficile, an si alio modo te ab injusto teste tueri nequeas, licet falsæ crimina illi possis obijcere, quanta sufficiant ad tuam justam defensionem? Duo assero: unum mihi satis probabile, alterum satis incertum.

5. Probabile d' mihi est, te, si id facias, non peccare contra Iustitiam, unde nec obligari ad restitutionem: ratio est, quia, sicuti si ad defendendam tuam vitam invadentem, illum mendacijs & stratagemate curares, ut in foveam v. g. caderet, mendax quidem esses, sed non injustus, cum (quoad iustitiam) habeas jus te defendendi omnibus vijs, ita in casu nostro &c. Et ratio à priori est, quia defensio vitæ contra injustè aggredientem aufert à quacunque tua actione ad defensionem necessaria omnem rationem injustitiæ.

d. *Bannes, Ledesma, Io: la Cruz allat*

à *Delugo t. 2. de iust. d. 40. sec. 2. num. 26. Dicast. latè contra quemdam innominatum lib. 2. de iust. tr. 2. d. 12. p. 4. dub. 2. m. 401. & apud Dian. p. 9. tr. 8. ref. 43.*

6. Incertum mihi est, an id possit fieri licetè, sine ulla culpa? & quidem Delugo e sic habet. Certum est, non licere, quia ad minus erit mendacium, quod nunquam licet: & post quatuor interjectas lineas hoc falsum, ait, crimen testis erit probandum per testes alios, qui cum debeant jurare, committent peccatum mortale, & per consequens, eos ad hoc hortari, erit mortale. Hæc ille, qui explicat aucthores f, quos in contrarium citat Diana ff, aitque eos docere, non esse mortale, ex parte injustitiæ; non verò non esse mortale, saltem ex parte perjurij.

e. *Delug. ib. sec. 2. n. 25. f. Io: la Cruz Bannes, Ledesma, apud Dian. mox citandum. ff. Dian. p. 3. tr. 5. ref. 4.*

7. Video doctrinam hanc, sed quoniam tota culpa refunditur in mendacium & perjurium, sequitur quaestio, si solum esset mendacium sine juramento, non esse mortale, quia, quamvis hoc mendacium sit absolute de malo gravi contra proximum, tamen cum iustè à me hoc damnum inferatur, non esset mihi imputandum ad grave; atq; hanc sequelam expressè concedunt Hurtadus g & Bannes h.

g. *Hurtad. apud Dian. p. 9. tr. 8. ref. 43. h. Bannes apud eundem Dian. ib.*

Secundò, etiam accedente juramento, posset adhiberi equivocatio, tum à me, tum ab ijs, quibus est certa mea innocentia, & sic vitari perjurium, seu mendacium, quo solo posito, negant commi-

communititer Doctores, & ipse Delugo hanc sententiam. Si igitur hoc tollatur, non sunt huic doctrinae contrarii. Iuramento autem æquivoco, etiam in iudicio, si id illegitimum sit, me licite posse uti, docet Castropalaus g cum alijs. ergo etiam in iudicio, ubi injustus est testis. Videbitur igitur alicui, posse vitari mortale ab eo, qui in prædicto casu, falso vel illegitimo testi falsa crimina impingit.

g Castrop. t. 3. d. 1. de juram. p. 7. num. 1.

Adhuc tamen incertum id esse pronuntio. Ut quid enim? si sodomitam oporteret probari esse illum testem, si excommunicatum, si hæreticum? sibi testis falsus id imputet, respondebit aliquis. Audio: sed adhuc hæreo. Quid enim, si sit necesse, publicas scripturas ementiri, possent Notarius publicus ad hoc induci, si Notario constaret mea innocentia? quid ni? respondebis: id enim non est, infidelem esse Reip. sed maximè fidelem, dum ejusdem Reip. innocentes sic defenduntur. Verum si aperiat huiusmodi ostium, quo modo stabunt publica judicia? inveniantur, respondebis, testes veri, ut sancta requirunt tribunalia. Demum enim falsi testes quacumque arte repelluntur, publica judicia firmanentur potius, non infirmantur. Sed ego iterum audio, quia tamen adhuc durum audio, libenter nodum hunc in aliud tempus evolvendum reservo.

An reo liceat, crimen sibi imponere ad evitanda tormenta, dicam inferius cap. 3. §. 6.

Reus an debeat stare sententia?

Quares secundò; teneturne reus

condemnatus stare sententiæ iudicis? respondeo, si est iusta, tenetur, quia sententia est veluti quædam lex privato imposita; unde condemnatus ad solvenda centum v. g. debet solvere, etiam in conscientia. Si est injusta, non tenetur, quia non expedit bono publico, ut qui per calumniam, vel falsos testes convictus est, obligetur in conscientia &c.; sed de hac re vide distinctè apud Delugo h. & de injusta sententia in materia beneficiorum, vide Dicastillum i. Nos unum notatu dignum diximus lib. 6. c. 4. §. 2. num. 5. l.

h Delugo t. 2. de just. d. 37. sec. 15. à n. 185. i Dicast. li. 2. de just. tr. 1. diff. 15. dub. 2. l. id ib. dub. 4.

An reus, etiam Religiosus, fugere queat à carcere?

9. Quares tertio: reus licetne fugit à carcere? respondeo, non solum ante, sed etiam post justam sententiam licetne fugit, si sit periculum damnationis ad poenam mortis, vel mutilationis, vel gravis mali; quia non potest poni præceptum, ut ibi maneat cum tanto suo damno. Probabile item est, posse vincula effringere, & rumpere carceres, saltem cum animo restituendi fractionis damnum, quod tamen damnum restitui, non esse in usu, putat Lessius m. Ratio est, quia qui potest velle finem, potest ponere media; neq; id est inferre vim publicæ potestati; per hanc enim prohibetur, ne fiat vis contra iudices, & ministros, quando justè agunt, non verò contra vincula & carcerem. Idem puto, si quis sit in eodem carcere (& propter paritatem rationis in triremibus)

bus) ob poenam delicti: in carcere inquam atroci, vel perpetuo, vel pro longo tempore; nam pro brevi & ordinario jus habet iudex. n

m *Less. li. 2. c. 31. n. 37. fine. n. l. Dian. p. 2. tr. 17. ref. 39. cit. Less. Malderum, Ledesnam, alios.*

10. Quid de Religioso, potestne fugere è carcere, saltem, ut se suo superiori mitiori sistat? de hoc lege Sanchez o strictius loquentem; sed lege Castropalaum p, & Suarez q, loquentes mitius, & Granadum r mitissimè, quoad trimemes, modo fugiat, non ut vagetur, sed ut ad superiorem, v.g. Pontificem pro remissione confugiat.

o *Sanch. li. 6. in Dec. c. 8. n. 12. p. Castrop. de voto relig. obed. d. 4. p. 14. q. Suarez t. 4. de Relig. tr. 8. li. 2. c. 10. n. 10. & 11. r Granadus 1. 2. tr. 3. d. 12. num. 28. sequens Bannes 2. 2. qu. 69. ar. 4. post conclusiones.*

11. Denique potestne quis licitè adjuvare dictum reum, ad fugiendum, & ad carcerem effringendum? respondeo, certum est, ministros & officiales Iustitiæ non posse, quia ex officio tenentur custodire. Certum est secundò, alios posse consulere reo, ut fugiat, quia si ipse licitè potest fugere, poterit & consultor consulere. Certum est tertio, vel sanè probabile, ex Delugo s, licitè dari ipsi instrumenta, v.g. securim, ut ipse reus effodiat parietem, vel effringat carcerem, fugiatque, quia, ut modo dixi, qui licitè ponit finem, licitè ponit & media.

s *Delug. l. c. d. 40. sec. 4. n. 55.*

12. Solum ergo dubitatur, an alij possint adjuvare reum ad dictam carceris fractionem? ad quod sic respondet

ibidem Delugo. Omnes negant, posse alios juvare reum effodiendo parietes, effringendo portas, vel alia similia faciendo. Si enim non licet effringere portas vel effodere parietes domus privatæ, minus licebit domus publicæ, per quod publica potestas pateretur vim, & offenderetur; licet ergo reo ipsi propter naturale jus conservandi se ipsum, liceat id facere, non tamen hoc licebit alijs, quibus id non est necessarium ad sui conservationem. Et paulò post, objicienti sibi, cur mittere quis possit reo securim ad effringendū carcerem, non verò servum, qui adjuvet? respondet, securim esse instrumentum inanimatum, servum verò animatum: servus itaque (ait) effodiendo carcerem, peccaret, quia contrectaret ipse rem alienam invito domino, ut diximus, atque ideo & domini minus peccaret, mittens & præcipiens servo, quod servus sine peccato facere non potest: securis autem scindendo non peccat, ideo, nec qui illam mittit, cum nec sit causa peccandi, nec ipse cooperetur immediatè effractioni carceris. Hæc ille, cui nequeo subscribere.

Primò quia universaliter, qui potest ponere finem, potest, ut dictum est, adhibere media: at medium est, reum in effringendo carcerem, habere meum, vel tuum servum adjuvantem.

Secundò, quia alibi diximus t, nec potuit negare Delugo, u me furari posse, si aliunde non habeo, pro extreme indigente; quod enim ipse licitè potest, possum & ego ejus proximus, tunc enim per me tamquam per instrumentum surripit, quod suum est extreme

extremè indigens; siquidem, *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.*
et sup. lib. 8. tr. 2. c. 6. v. 2. u De- luge citatus ib.

§. III.

Advocatus & procurator.

Tertiò, quia falso supponitur, esse peccatum, adjuvare reum in effringendo carcere; si enim non est peccatum pro ipso reo, nec erit pro adjuvante: publica autem potestas tunc non patitur injustè vim, vel offenditur, quia in eo casu iustè ille, & consequenter socij effringunt; nam, ut modo vidimus, potestas publica solum jus habet cogendi malefactores ad carceres, non dare potest præceptum, seu tollere jus, quod quisque habet se defendendi à duris tormentis &c.; unde colligis, falsum esse, servum illum peccare adjuvando; non enim peccat, ut patet ex dictis, & consequenter quoad hoc, eadem erit ratio de securi illa & de servo.

Quintò: si reus ex se potest effringere carcerem ob sui conservationem, id certè est propter amorem, quem quisque debet sibi ipsi, ergo potuerunt ejus pater & mater, qui vna persona censentur cum filio, quique sæpe magis amant filios, quàm se ipsos. Et certè quis ferreus negabit matri, posse adjuvare filium (quem mox moriturum timet) ad carceres effringendos. illum, que servandum? si matri id concedis, ergo patri, ergo fratri, forori, amico; ergo cuicumque proximo, qui ex charitate movetur ad adjuvandum. Semper autem suppono, fugam huius in damnum reip. vel vitæ alterius vergere injustè non debere, ut ex se patet.

Quas causas possit Advocatus patrocinari, dixi superius *a*. Rursus ex superioribus colligi potest, an teneatur restituere *b* pecuniam pecuniariam, quam cliens injustè defensus solvisset? ut item, an teneatur *c*, patrocinari extremè indigenti? nunc ergo dumtaxat addendum aliquid de stipendio, ipsi debito.

a sup. l. 1. c. 3. §. 7. b sup. lib. 8. tr. 4. c. 2. §. 6. n. 12. c sup. lib. 5. c. 1. per tot.

2. Et primò, quidem prohibetur in jure, *d* posse Advocatum cum cliente loco stipendij pacisci de quota parte litis, hoc est, de dimidia, vel tertia, vel quarta parte ipsi danda, si lis vincatur. Ratio prohibitionis fuit, ne per fas vel nefas Advocatus sententiam promoveret. Rursus prohibetur *e*, ne idem de pretio conveniat cum cliente, post inchoatam litem, sed vel ante illam inceptam, vel post finitam. Ratio fuit, ne cliens, postquam ostendit Advocato sua arma, cogeretur stare pretio, quod Advocato libuerit. Cæterum si nulla interveniat fraus, vel fraudis periculum, non existimo, *ee* has leges obligare in conscientia, quia fundantur in præsumptione fraudum. Sicuti autem posse Advocatum post victoriam accipere, quæ gratis dantur, certum est, ita magnum periculum erit, ne nō gratis dentur, quando ab Advocato nimia sollicitudine requiruntur: dabit enim cliens ex timore, ne

Y y

aliàs

aliàs ab Advocato injustè vexetur.

d. l. *sumptus ff. de pactis*, & alibi.
e colligitur ex c. *Infames* 3. q. 7. ee *Di-*
an. p. 2. tr. 16. res. 47.

3. Præterea potest f. Advocatus accipere integrum stipendium pro lite promissum, quando promittitur quid determinatum pro tota lite, ad finem usque, etiam si cliens eam non profequatur. Ratio est, quia sicuti, qui locat operam suam pro anno, non debet uo pretio defraudari, si per ipsum non stat, illam ponere, ita in casu nostro. Quando tamen Advocatus propter infirmitatem v. g. non servit, solum meretur stipendium pro tempore servitij. Quando item Advocatus, dum non agit huius clientis causam, suscipit aliam, quam non suscepisset, si priorem fuisset prosequutus, compensare debet lucrum, nec potest gaudere priore stipendio. Quando denique Advocatus potius elegisset amittere stipendium, & non laborare, quàm contra, non valet, saltem integrum, exposcere stipendium, quia jam non laboravit. Videtamen, quoad hoc postremum, ea, quæ notant lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 3. numero 15.

f. l. *Fag. Pr. 8. c. 38*

4. Pari modo justè stipendium accipiet, quod solet quolibet anno dari, tametsi eo anno nullam causam clientis agat; nam (secluso pacto, cui esset standum) ipse est paratus advocare, onusque sumit respuendi adversæ partis patrocinium. Si in decursu litis cliens transigat cum adversario, finiatuq; lis per transactionem, licet item Advocatus accipiet determinatum stipendium, promissum pro tota lite;

nam non stat per Advocatum, ut lis per suos terminos non currat. At si non fuerit determinatum pretium pro tota lite, sed Advocatus serviat ad ratam anni, hanc solam accipiet. Illud de subtractione ex negatione sui laboris, quod modò dixi, & de susceptione aliarum causarum, semper est proportionaliter in similibus applicandum.

5. Denique si Advocatus agit propriam causam, litemque vincit, pars autem adversa condemnatur, ut soluat expensas, poterit ipse accipere expensas, quæ debentur Advocato, & quas soluisset, si Advocato usus esset; ratio est, quia labor, quem ipse suscipit in sua causa defendenda, meretur illud stipendium, neque debet cedere in utilitatem adversarij. Quæ diximus de Advocato, propter paritatem rationis, etiam de Procuratore dicta censeantur.

§. IV.

Accusator & Denunciator.

1. Quando crimen proximi superiori aperiatur, solum propter bonum & emendationem fratris, dicitur denunciatio paterna; quando, ut delinquens puniatur, dicitur denunciatio judicialis; quando, ut superior pro suo munere faciat, quod judicabit expediens, dicitur propriè denunciatio canonica: nā latè appellatur etiam judicialis, quia fit Superiori, vt Iudici. Denunciatio autem judicialis, etiā propriè sumpta, differt ab accusatione; nā qui accusat, suscipit in se onus probandi, & debet se subscribere accusationi; si non probat, patietur ex jure pœnam talionis; quæ non subit Denunciator.

4. De

2. De his autem plura sunt & varia, quæ clarè afferuntur à Doctoribus; illos adi; ego enim illud hic dumtaxat proferam, quod timoratum & probum virum torfit nudiustertius, meque de suo timore amicè consuluit. Dum is, nomine Caius, rure domum reverteretur, sub primam noctem, aggressus ex improviso à Titio, vulneratur gravi vulnere, nullis præsentiibus, & ut ipse fatetur, nullis non solum vehementibus, sed ne probabilibus quidem existentibus conjecturis, quibus probare possit, à Titio, (quem certissimè cognouit) fuisse vulnus inflatum. Quarit ergo, an peceet, si Titium bonæ famæ virum ad Iudicem deferat? Ratio timoris & dubitationis fuit, quia occulto existente delicto infamaretur proximus, qui jus habet, ne famam amittat ex occulto crimine. Simile contigit non multo ab hinc tempore; nam improbus quidam Religiosus tentauit puerum indecorè osculari, nescio quo occultissimo in loco, dubitatumque fuit, an puerem deferre ad Superiorem palam potuerit, quamvis ejusdem Religiosi, alias optimi nominis, infamia fuisset consecutura.

3. Antequam responderem, volui aliquot Doctores eoluere, ex quibus afferam hic instar omnium duos, Fagundez & Delugo. Prior loquens, an accusatio fieri possit, non præmissa correctione, sic ait *a*. Vidi, sæpe dubitari, an ante accusationem præmittere da semper sit fraterna monitio? & sic respondeo; prima conclusio: si accusator potest probare in Iudicio accusationem, quam proponit, non tenetur præmittere fraternam admo-

nitio, siue in ea vindictam propriæ injuriæ intendat, siue publicum bonum reipublicæ quæ vult, ut publica delicta, puniantur, ac scelerati timore supplicij cohibeantur. Et paulo post addit tres huius rei rationes: primâ, quia nimis esset difficile, obligare atroci affectum injuria, ad faciendam injurianti correctionem fraternam, existente injuria publica, quæq; probari potest. Secundam, quia delinquens sic publicè jus vnicuique dedit, ut accusare ipsum posset. Tertiam, quia in accusatione directè & immediate intenditur bonum reipublicæ, non verò delinquentis peculiare bonum, ad quod immediate tendit correctio &c. Secunda conclusio, quando crimen est occultum, & in Iudicio probari non potest, tunc tenetur accusator ante accusationem præmittere admonitionem, & peccat mortaliter contra charitatem, nisi illam præmittat, si ex illa emendatio peccatoris speratur, præsertim si ipse sit persona honesta, & bonæ famæ. Excipienda tamen sunt crimina ex se contra bonum publicum, qualia sunt heresis, falsificatio numorum, proditio in principem, & similia. Hæc ex Fagundez. Vides occultum crimen non posse in Iudicium ferri, si qui illud commisit, sit, sit persona bonæ famæ &c.

a Fag. l. 8. in Decal. c. 47. n. 16.

4. Delugo *b* autem loquens non de accusatione solum, sed vniuersaliter de quacumque denuntiatione judiciali, sic habet: dubitari potest; an ut denuntiatio licitè fiat, requirat præcedentem infamiam? Supponimus autem, neminem posse licitè judicialiter denuntiare,

Y y z

„denuntiare, nisi quod *bona fide* putat,
 „posse in iudicio legitimè probari (lo-
 „quitur, puto, præter hæresim alio-
 „rum infectuâ &c. alioquin *sine villo*
 „*fructu* infamaretur proximus. Hoc
 „supposito, prima sententia *c* docet,
 „neminem posse juridicè denuntiare
 „peccatum secretum, etiam si possit
 „illius crimen probare, nisi crimen sit
 „tale, quod redundet in reipublicâ, vel
 „innocentis grave damnum. Oppo-
 „sita tamen *d* sententia videtur veri-
 „or, quam alij videntur supponere, ut
 „communem, Suarez, Filliucius, Mo-
 „lina. Ratio est, quia sicut propter bo-
 „num commune unusquisq; habet facul-
 „tatem accusandi, quæ probare potest,
 „sic habet facultatē denuntiandi absq;
 „malitia detractionis; præponderat
 „enim bonum commune, contra quod
 „esset, si scelerati homines scirēt, se posse
 „impunè peccare, absque metu pœnæ,
 „quamdiu eorum delicta non essent
 „divulgata. Hæc ille. Notes illud,
 „(*quæ probare potest, & quod bona fide*
 „putat, posse in iudicio probare.) Cum
 „ergo Caius, & ille puer non putent bo-
 „na fide, posse vulnus & osculum pro-
 „bari, sequitur, nec posse illud denūtiari.

b *Delug. t. 2. de just. d. 37. sec. 7.*
n. 76. c. n. 7. d. n. 78.

5. Equidem assero in rigore theo-
 rico sic esse omnino sentiendum, & id
 probari à prædicta doctrina Theolo-
 gorum. Cæterum in praxi *e* puta-
 rem, nunquam peccari, etiam si occul-
 tissima criminia Iudici deferantur ab
 eo, qui injuriam passus est, vel ab ijs, ad
 quos juxta Doctores *f* injuria perti-
 net, ut pater, frater &c. Semper au-
 tem suppone, abesse debere odium &

desiderium injustæ vindictæ. Ratio
 doctrinæ datæ posset esse, quia num-
 quam desunt rationes propalandi, &
 favet communis praxis. Quis enim
 est ille, qui hodie ad Superiorem, vel
 Iudicem non defert, saltem per viam
 querelæ, injurias sibi illatas, quocum-
 que in loco, & quacumque ratione il-
 las acceperit? & meritò: primò, quia
 Iudex & Prælati, quibus multa sunt
 cognita, quique manus, ut dicitur, val-
 de longas habent, aliquas fortasse con-
 jecturas expiscabuntur, per quas pos-
 sint ad iudicium producere; & re ipsa
 millies evenit, ut occultissimi delin-
 quentes comprehensi ab industrijs mi-
 nistris non rarò fuerint. Facit hæc
 praxis, quam approbat Lessius, *g* con-
 tra Navarrum, per quam Iudices sæcu-
 lares, nulla præcedente infamia, ex
 simplici delatione alicuius procedunt
 ad specialem inquisitionem contra ali-
 quam personam.

e Delug. in simili li. 4. resp. moral.
dub. 6. n. 3. f. Vid. apud Fagund. pr. 8.
c. 48. nu. 1. & Sanch. l. 6. conf. la. p. 1.
dub. 30. g. Less. li. 2. c. 29. n. 131. apud
Delugo l. c. sec. 6. n. 64.

6. Secundò, quia nimis esset one-
 rosum injuriato, si antequam deferat,
 ipsi sit speculandum, an testes habeat?
 an probi ij sint? an adsint conjecturæ
 vehementes, vel probabiles? &c. id
 fieri debere in propriè dicta accusatio-
 ne, mirum non est, quia per accusatio-
 nem hoc sibi onus accusator imponit;
 at denuntiator Iudicis officium dum-
 taxat implorat, cætera ipsius prudentiæ
 remittit.

7. Tertiò, quia summum malum
 reipublicæ esset, sceleratis hac impuni-
 tate

tate occulti criminis ansam dare vexandi proximum; nam, quando sciunt, se, quomodocumque occultè peccaverint, esse apud Iudicem prodendos, avertentur facilius à malis.

8. Quartò, præstat, Superiorem scire delicta subditi, non solum in foro paterno, sed in judiciali; nam licet quando probari non possunt, propter defectum testium, procedere nequeat ad pœnam, tamen illa cognitio inferniet saltem, ut forte incidentem eundem in similia peccata possit postea Iudex securius castigare, & fortasse si hic sit secundus casus, possit confirmare alium antea ab eodem Superiore cognitum. Favet lex *gg*, quamvis valde à Christianis timoratis limitanda, dum edicit expedire, crimina omnia propalari.

gg *l. eum qui nocentem §. 1. ff. de injurijs.*

„ Eum, inquit, qui nocentem infamavit, non esse bonum & equum, ob eam rem condemnari. Peccata enim nocentium nota esse, & oportere, & expedire. Notas illud? (infamavit) occultum ergo supponitur fuisse crimen.

9. Quintò, notò illud allatum à Delugo, nu. 4. (quia *sine fructu* infamaretur proximus) at in praxi semper adest aliquis tandem fructus, ut dictum est: nam propterea rectè excipio cum eodem, occultum aliquod crimen hominis gravissimè: hoc enim non possit licitè deferri ad Iudicem, non solum quando vni soli est cognitum, sed etiam quando per paucos testes probari posset; non puto, inquam, licere, quia si crimen hoc propalaretur, esset scan-

dalum in republica, & nullus speraretur fructus, & nullum præcavendum est malum, &c. ut supponimus, unde infamaretur proximus sine causa.

10. Sextò, noto verba Molina *h*, quem modo citavit Delugo, qui quamvis loquatur expressè de crimine, quod probari potest, sic tamen habet: est licitum præjudicare famæ ejus, qui delinquit, non solum sententia Iudicis, postquam delictum fuerit probatum, in pœnamque eius delicti, sed etiam, ut de eo delicto accusetur à legitimo accusatore, inquiratur à Iudice ex officio, detegatur ac denuntiatur, testibusque comprobetur, quantum in bonum commune jure civili aut Canonico, in Ecclesiastico vel in sæculari foro fuerit pro qualitate delictorum, præscriptum aut permissum: neque in ea læsione famæ delinquentis, quæ ea via juxta ordinem ac permissionem juris fit, vlla est culpa in foro conscientiæ, neque contra justitiam, neque contra charitatem delinquentis, modò sinistra alia intentio non admisceatur, neque transgressio fiat, quoad id, quod ea correctione judiciali, Canonico aut civili jure, in Ecclesiastico aut in sæculari foro est permissum. Hæc Molina. Noto autem illa verba (*permissum, permissionem juris, est permissum*) sed etiam videtur passim permitti, ut quilibet sine tot cautelis, de suis injurijs apud Iudicem querelam exhibeat, ergo &c.

h *Mol. r. 5. de just. tr. 4. d. 32. num. 5.*

11. Atque hæc mihi in mentem venerunt, quibus virum illum puerumque

Yyy 3

rumque eximerem à timore peccandi: si alijs placeant mihi de excogitata veritate placebo; si displiceant, in verso stylo, quæ scripta sunt, sponte delebo, &c.

§. V.

Testis, Notarius seu Tabellio.

QUæ de his agitari communiter solent habes apud Doctores a perspicue. Nonnulla etiam, vel controversa, vel necessaria nos in præcedentibus satis superque notauimus; quare hic amice Lector, non es distinendus diutius, sed solum de locis admonendus.

a Bonac. 8. Decal. pr. d. 10. q. 3. p. 3. n. 16. de teste & ib. p. ult. de Notario. Fagund. in 8. Dec. pr. l. 8. c. 39. de teste & de Notario ib. c. 94. Delugo de just. t. 2. d. 39. de teste & de Notario ib. d. 41. De taxa à Notario, & similibus ministris accipienda Diana p. 4. tr. 8. res. 8. De Notario, quoad cooperationem cum contrahentibus inique, distincto loquitur Barthol. à S. Fausto in speculo Confess. d. 26. q. 116. De eodem ostendente scripturas in damnum alterius, lege Fagund. lib. 8. in Decal. c. 5. n. 6. & 7.

An testis possit æquivocare, dixi vniuersim l. 3. c. 2. §. 2.

An Notarius possit cooperari, scribendo contractum usurarium, dixi l. 5. c. 1. §. 4. à n. 42.

An scribendo instrumentum emptionis vel venditionis, cum læsione infra dimidium, dixi lib. 8. tract. 3. p. 7. §. 17. n. 1.

An uterque, id est, Testis & Notarius, obligentur revocare dictum, vel scripturam falsam, dixi lib. 8. tr. 4. cap. 1. §. 9. num. 6. & rursus dicam inferius, cum de restitutione famæ cap. 3. §. 3. numero 21.

CAPVT TERTIVM.

De lædente famam alterius, ejusque restitutione.

§. I.

Quid sit fama, & quomodo lædatur?

FAMA, quæ consistit in aliorum bona opinione, quam de aliquo ij habent, læditur, quando in eorum animos ingeritur de eodem, etiam si fuerit defunctus, praua opinio. Et quidem si læditur, falsum crimen imponendo, dicitur communiter infamatio; si verum, sed occultum propagando, dicitur detractio. Vtrumque peccatum ejusdem a speciei sine dubio mortale contra iustitiam; unde & restitutionis onus inducens. Mortale inquam, nisi materiæ paruitas excuset, vel aliud, de quo mox. Ratio est, quia non minus homo jus ad sua bona temporalia habet, quam ad bonum famæ, publicè apud homines acquisitæ.

a In nostra methodo Conf. l. 2. c. 13.

2. Læditur autem dupliciter, primò, veluti ex injusta acceptione, ut cum quis injustè sive formaliter, id est, intendendo alterius famam denigrare, illam denigrat; sive materialiter, quando, non ex hac intentione, sed

ex quadam loquacitate denigrat re ipsa: secundo, veluti ex re accepta, ut cum quis per inculpabilem inadvertentiam, aliquem infamat, ut mox §. 3. n. 7. clarius explicabitur.

aa *S. Th. 2. 2. q. 73. ar. 2.*

3. An inducatur diversa detractionis species, vel ratione materiae, vel personae infamatae, vel audientium, ut item quomodo differat detractor à susurrone, & multa ad detractionem, quoad confessionem pertinentia, sunt à nobis alibi *b* disputata.

b *In Opusc. Exped. Conf. l. 2. c. 9. §. 1.*

4. Modi *bb* à quibus alicuius famam quis commaculat, his versibus comprehenduntur.

bb Molina tr. 4. d. 27. Pal. t. 3. d. 5. q. 17. p. 1. Fill. tr. 40. c. 4. q. 1. n. 88. & communiter.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens:

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatque remisit.

Quibus octo modis sex alios addit Reginaldus *c*, sed qui ad praedictos tandem reducuntur.

c Reginaldus l. 2. 4. n. 68.

5. Si delictum occultum publicetur scriptura, vel signo, quo pacto dicitur, proximus infamari per libellum famosum, praeter peccatum graue conficientis vel divulgantis (non dicitur autem conficere, nec divulgare, qui solum ob curiositatem sine periculo divulgandi, legit) contrahitur obligatio, ut publice fama restituatur, vel per praconem, vel per Concionatorem, vel per aliam publicam scripturam, per quam iudicio prudentis fama quantum potest, proximi resarciatur: contrahitur

item excommunicatio; sed ferenda, si libellus sit contra ceteros; *d* lata, si e sit contra religiosos. Adverto denique, non esse, *f* divulgare, si vni tantum perlegas; id vero intellige, si prudenter putes, illum fore taciturnum. Libellum denique jam fortè publicatum, aliis referre, eritne divulgare? respondeo, huius dubitationis expressam mentionem non invenio apud Authores, sed ex ipsa praxi fidelium, & quia jam amissum est ius famae, puto, non esse mortale, juxta ea, quae mox dicam §. 2. n. 9. praescindendo ab alijs damnis, quae infamato evenire possent.

d l. Bon. de rest. d. 2. q. 4. p. 9. & n. 9. qui Mediolani hanc excomm. esse ex jure proprio latam, etiam contra ceteros, monet. Dicast. l. 2. de just. tr. 2. d. 12. p. 2. d. 4. n. 109. & Fagund. l. 8. in Decal. c. 3. n. 14. & Fag. ib. n. 13.

§. II.

Excusationes, saltem à mortali, infamantis.

DE excusatione à restitutione, mox; nunc solum agimus de excusatione à peccato.

Ignorantia, & parvitas materiae.

2. Prima excusatio est ratione ignorantiae, vel inadvertentiae inculpabilis.

3. Secunda, ratione parvitas materiae, quae est attendenda ex circumstantiis, juxta sequentem regulam *a*, quae semper est pra oculis habenda. Quoties notabiliter fama alterius leditur, siue

tur, five id, quod narratur sit peccatum mortale, five veniale, five defectus naturalis, toties peccatur mortaliter; at vero quoties læditur, leviter, peccatur venialiter, quoties nil læditur nil peccatur; v. g. si dicas, de viro probo, vel religioso, esse amatorem puellæ, commisisse duellum, esse deditum amoribus &c.; quia lædis ejus famam notabiliter, ideo mortaliter peccas: at si idem dicas de adolescente nobili, vel milite, quia leviter, aut nihil ejus famam lædis leviter vel nihil peccas. Idem b est, si dicas crimen de homine incognito, sine periculo, eum vel ejus familiam &c. cognoscendi, quia tunc nullius fama læditur.

a Ex Salon. Less. Bon. alijsque max citandis. b Salon. 2. 2. q. 62. ar. 2. contr. 1.

4. Hinc infert primò Lessius c cum alijs, quos vide infra cap. 3. §. 3. nu. 6. veniale esse, narrare defectus veniales, nisi forte etiam de his cadat quis notabiliter à sua fama, ut si de viro probo & religioso diceretur, esse mendax (nota; mendax, inquit, non vero semel aut iterum mendacia levia protulisse) & nisi tam multas leves detractiones ce, quâvis interpolatis sermonibus, aggeras, ut sensim notabiliter de bona fama hominem dejicias. Infert secundò, non esse ordinariè mortalem revelationem defectuum naturalium, ut esse e gibbosum, cæcum, Clerici filium, Iudæum, parvi judicij ingenijque, ignobilem &c. Infert tertio, idem ordinariè esse, si reveletur defectus, veluti in genere, ut esse aliquem avarum, superbum, iracundum; ratio harum illuminationum est, vel quia hæc communiter sciuntur, vel faciliè sciri contingit, vel

parum per illa læditur proximus, cum sint defectus vel leves, vel involuntarij, propter quæ non censetur esse quis infamis. Dictum tamen utrobique est (ordinariè) nam si ex horum manifestatione esset notabiliter quis contemnendus, vel aliquod f damnum injustè passurus, vel ratione gravitatis personæ graviter denigrandus, vel quia, dum naturalis defectus ore exprimuntur, ex modo loquendi ipsa peccata gravia significantur, mortaliter peccabitur. Adverte insuper, si hæc infamiam honesti hominis jactantur, fore aliud peccatum, & aliquando juxta gravitatem injuriæ, mortale; tunc enim erit contumelia, de qua latius g alibi.

c Less. li. 2. c. 1. nu. 13. Dicast. li. 2. de just. tr. 2. d. 12. p. 2. du. à num. 111. Aror p. 3. lib. 13. c. 7. dub. 4. d Bonac. d. 2. de rest. q. 4. p. 2. n. 7. citatis Nav. Regin. Arag. alijs. ee Delugo de just. t. 1. d. 19. sec. 3. n. 46. Et §. 1. n. 31. Et §. 2. nu. 52. apud Dian. p. 10. tr. 15. res. 17. e At esse mortale, tenet Dicast. lib. 2. de instit. tr. 2. d. 12. p. 1. dub. 3. num. 41. f Barth. à S. Fausto in spec. Conf. a 21. q. 46. g Infr. c. 3. §. 8. lege item Bon. de restit. d. 2. qu. 4. p. 1. nu. 1. Et p. 3. n. 11. Et fusc q. 5.

Quæres, an mortaliter peccem, si dicam, te morbo gallico laborare? respondeo negativè h, si tibi dedecus non est, fuisse machatum, ut de milite, vel nobili adolescente modo diximus, quia tunc famam tuam non denigro. At si dedecus tibi illud sit, affirmativè respondeo, quia regulariter hic morbus inde procedit. Excipe, nisi statim subdam, illius morbi causam fuisse extraordi-

extraordinariam, nempe te fuisse infectum ex loco frigido, vel ex hospitij infecta suppellectili, vel, ut accidit infanti cuiusdam mei per familiaris, ex lacte nutricis infecta.

h. Bon. l. p. 3. n. 9. i. Id ib. contra Nav. aliosque, absolute negantes, esse peccatum.

Circumstantia, in quibus non adhibetur fides.

5. Tertia; si cum ijs circumstantijs, & ab ijs personis, tam vilibus & nullius authoritatis narretur crimen, ut audientes non sint credituri, mortale peccatum evitatur. Quod si tu, eo quidem modo narres, ut prudenter non sit tibi fides adhibenda, sed tamen vides, audientes, vel ex sua levitate, vel ex alia malitia fore credituros, peccabis quidem contra charitatem, quia cum facile possis, tacendo impedire malum graue proximi, non impedis, sed non peccabis contra iusticiam, quia causa infamiae non est, ut supponimus, tua loquacitas, sed levitas credentium.

a. Less. l. 2. c. 11. dub. 5.

5. Quid, si quis dicat, se illud crimen proximi audivisse ab alijs, maxime si nominet, dicti infidum authorem, ad cuius fidem veritatem remittat? respondendo, pari modo peccare, & quidem contra a. iusticiam. Nunquam enim mihi placuit, hunc omnino excusari, ut excusat Reginaldus b & Marcus c Vidal, putantes, huic referenti communiter fidem non dari; video enim contingere oppositum, fidem scilicet adhiberi communiter, si non certissimam

eius tamē generis, qua re ipsa laeditur fama proximi, vel saltem, quia ejusdē fama certa ponitur in dubio. Solum igitur tunc à mortali excusabitur, quando tam modica, omnibus expensis, ex ejusmodi relatione ingeneraretur suspicio, ut revocaretur ad materiae parvitatem. Illud notat Clavis Regiae, eandem detractionem, si fiat apud viros graues, grauiorē fore, quàm si apud populares. Verum recale, contrarium non semel contingere; nam detrahare apud vnū vel alterum virū gravem, qui iudicetur, non locuturus, jamjam videbimus, non esse peccatū; esse, apud populares, facile oblocuturos.

aa. Dicast. l. c. p. 2. du. 4. nu. 174.

b. Regin. li. 24. n. 77. alijque apud Dian. p. 3. tr. Miscell. 5. ref. 28. c. Vidal. in Arca vitali, Inquis. de detract. à num. 45. d. Bon. l. c. p. 5. locus l. 4. de just. c. 6 art. 3. Molina tr. 4. d. 30. Laym. alijque apud Dian. l. c. quib. adde Delugo de just. t. 1. d. 16. num. 58. e. Clavis Reg. l. 12. c. 6. n. 5.

7. Quarta; is, qui proximi crimen vni vel duobus refert, qui prudenter creduntur non esse alijs relaturi, excusatur f. saltem à mortali; modo nullum aliud damnum proximo securum timeatur; ratio est, quia moraliter perinde est, ac si crimen taceretur. Excipio cum Lessio casum, quo prudenter iudicatur quis nosse rationabiliter, ut sua fama apud illum vnū denigretur, ut esset in religioso, qui mallet suum crimen sciri à sexcentis, quàm à suo Praelato, à quo multum dependet.

Zzz

8. Hinc

f. *Regin. l. c. n. 5. Less. l. 2. c. 11. n. 20. Axor. p. 3. l. 5. c. 8. q. 2. Nos ipsi in apus. meth. Conf. li. 2. c. 9. §. 2. alijque apud Delug. t. 1. de just. d. 14. nu. 51. nobis contrarium & apud Dian. p. 3. tr. 5. ref. 33. & Bonac. 2. de rest. q. 4. p. 3. n. 2.*

8. Hinc excusant nonnulli à mortali, primò, viros vxoresque, qui inter se de occultis alterius peccatis confabulantur, modo non sit verisimile, alterutrum ea divulgaturum; secundò, eos, qui in confessione, etiam ad suam solam consolationem complicem revelant; tertio, eos, qui consilium exposcunt à viro prudenti: neque enim teneor, leue periculum alterius famæ (quale est peccati cognitio apud vnum, vel alterum non oblocuturos) præferre commodo meo, etiam levi; quariò, eos g, qui ad solatium referunt amico injuriam sibi ab altero factam, etiam si, quando nomenclatura iuvat ad solatium, nominetur injurians.

8. *Delugo l. c. n. 54.*

Crimen esse publicum.

9. Quinta: excusatur is, qui crimen publicum alijs manifestat; siue publicum factum fuerit justè, siue per injuriam h. Ratio est, quia per publicitatem vndecumque ortam amittitur jus ad famam. Publicum autem est crimen jure, vel facto: jure est, si de illo lata sit sententia à Iudice: facto est, si crimen de facto sciatur à communitate; siue crimen commissum fuerit in

publico, quod dici solet Notorium, siue divulgatum apud multos, quod appellari consuevit Famofum.

h. *Less. l. c. nu. 77, contra Molinam aliosque citatos à Bonacina d. 2. de rest. q. 4. p. 6. n. 3. putante, sententiam nostram esse etiam probabilem.*

10. Verum hic emergit molesta difficultas, qua nimirum ratione publicum esse crimen, vel occultum cognoscamus? præferant nobis lucem duo illustres authores, Sanchez & Molina, Prior, quem plurimi sectantur, loquens de occulto, prout sumitur in dispensationibus, & in absolutione ab hæresi per Episcopum, (nam certè videtur eadem esse ratio in detractione) hanc regulam i tradit: tunc crimen occultum non est, quando in maiori parte Viciniae Collegij, vel Monasterij, vel Parochiae, cognoscitur, dummodo, saltem decem personæ inveniuntur, in ea Vicinia, Parochia, Collegio, vel Monasterio. Hæc Sanchez l. Molina autem volens rem enucleatius asserere, docet, ut res sit publica in Collegio constante ex octo personis, sufficere, si quatuor sciant: quando constat ex viginti, sufficere, si septem, aut octo; quando ex centum, si quindecim, aut viginti; quando constat ex mille, sufficere viginti, plus minus, qui tamen non ex vna, vel duplici domo sint, sed ex diversis: rursus, ut res sit publica in vicinia constante ex quadraginta habitantibus in quatuor vel quinque domibus, sufficere, si sciant decem vel octo ex diversis domibus. Præterea, ut res sit publica in civitate, vel oppido constante ex quadraginta domibus, sufficere, si sciant viginti de eo populo: quando

quando constat ex quinque millibus, sufficere, si sciant triginta sparsim de ista ciuitate. Denique ut res sit publica in regno, sufficere, si infamatus sit in curia, vel in alio illustri loco, ex quo facile in totum regnum fama spargitur. Hæc summam ex Molina. Nihilominus neuter animus sedat; non Sanchez, quia ex eius regula videtur sequi, rem diuulgatam apud quinquaginta in Collegio constante ex centum, vel diuulgatam apud quinquaginta millia in ciuitate constante ex centum millibus, fore occultam in Collegio vel ciuitate, quod nemo prudenter crederet. Non Molina, quia tam multa variaque proponit, ut difficile sit, omnium in praxi meminisse. Nec tamen hæc dico, quasi melior à me regula dari queat, sed ut advertam, has valere quidem aliquando, sed illam esse meliorem; tunc crimen dici publicum in re, de qua agimus, quando prudenter, & ex circumstantiis iudicatur, illud facile fore communiter euulgandum.

i. Sanch. in Decal. l. 2. c. 11. n. 19.
de mat. l. 8. d. 24. nu. 55. aliique. vide Dianam p. 5. tr. 2. resol. 15. Bon. de censur. in com. d. 1. q. 3. p. 2. n. 1. i. Mol. to. 4. d. 31. n. 3.

Publica in alio loco.

11. Quid, si sit publicum in vna communitate seu ciuitate, poteritne diuulgari in alia?

Respondeo, quando quis damnatus est per sententiam iudicis, concedimus, posse sine peccato diuulgari, nec peccari contra iustitiam, nec contra

charitatem; quia ideo damnatur, ut sit exemplo alijs, quamvis remotissimè degentibus.

mm Less. lib. 2. c. 11. à n. 75. Dicast. l. 2. de iust. tr. 2. d. 12. p. 3. dub. 14.

Hinc sequitur, non esse peccatum, loqui de causa, ob quam in carcerem quis coniectus fuit, vel de pœna trimeris, detruncationis nasi &c. delinquenti inflicta, quia sicut detentio in carcere publica est, ita & causa, ita & pœna. Quando autem crimen est publicè notorium, vel famosum, amitti famam etiam pro remotissimis locis, multo magis pro locis vicinis, quod facile & breui peruentura est criminis fama, sentit merito Lessius n, atque adeo non peccari contra iustitiam. Ratio est, quia si ipse peccauit in publico, cessit jam suæ famæ; quare sibi imputet ejus diffamationem; si vero res aliunde est manifestata, tribuat suo infortunio; nam ceterum eo ipso, quod res vnde cumque sit manifestè publica, ius ipse amisit suæ famæ. Et certe expedit (ait hic Delugo) ad bonum publicum, quod vnusquisque ab alijs cognoscatur, qualis publicè est, ne alijs in ejus convictu & honore, aut ceteris actionibus humanis decipiantur. Hæc his verbis comprobatur Lessius loco citato: idem confirmatur ex consuetudine totius orbis: nunquam enim homines putant, se injuriam facere, si publica crimina (adverte non occulta) alijs referant, vel litteris perscribant, historijs commendata legant, vel referant. Hæc Lessius. 1
mm Less. lib. 2. c. 11. à n. 75. Dicast. l. 2. de iust. tr. 2. d. 12. p. 3. dub. 14.
Z z z 2 12. Dixi

mm *Clavis Regia lib. 12. c. 6. alij-
que apud Bon. d. 2. de test. q. 4. p. 6. n.
8. & 9. n. Less. ib. n. 75.*

12 Dixi (non peccari contra iustitiam) nam peccari contra charitatem idem author ibidem docet. Verum neutro modo peccari, asserit Fagundez p., quia eadem rationes, quae probant, non esse contra iustitiam, probant, nec esse contra charitatem; sanè Lessius confirmavit modò, non esse contra iustitiam, quia nemo iudicat, se esse injurium alteri, si scribat, vel in historijs e vulget peccata alterius loci: subsumere potest, quoad historias Fagundez; at nemo iudicat, vllum peccatum, saltem grave committere, si has historias scribat de non occultis criminibus.

p *Fagund. in pr. Eccl. 2. l. 5. c. 3. nu. 7. citans Navarrum, Majorem, Caetanum, lege item Dian. p. 3. tr. 5. res. 27. & eundem Fagund. lib. 8. in Decal. c. 4. n. 11. & Delugo l. c. num. 87. fine.*

13. Et quidem, quoad Historiographos, nimis durum esset, eos damnare de mortali, quamvis, quia non peccant contra iustitiam, illos excuset, à restitutione. Alij hoc verum, existimant (habet hic Bonacina q.) non solum de criminibus infamatorijs in aliquo loco publicis, verum, etiam de infamatorijs non omninò secretis, etiam si non sint publica. Ratio est, quia cū Historici scribant, vitas Principum atque aliorum, alijs quid ipsis tribuendum est, quod alijs non conceditur, sicuti Iudici ex officio inquirenti competit jus inquirendi de criminibus non omninò secretis. Hæc Bonacina: cuius rationis

ulterior ratio esse potest, quia bonum commune, ad quod tendit historia, quæ ex Tullio, est magistra vitæ, est proponendum aliquali infamiae peculiarium personarum, sicuti propter eandem rationem idem conceditur prædicto Iudici. Omnino autem occulta publicari, cum non sit necessarium ad bonum publicum (ad hoc enim satis superque sufficit, scribere publica & non omnino occulta) ideo illa tacenda omnino à scribentibus sunt.

q *Bonac. d. 12. de test. q. 4. p. 6. n. 3.*

14. Adverte tamen primò, si ex mera loquacitate publica obloquaris, non effugi à te veniale, quia aliquo tandem modo violatur charitas; nam si ex bono zelo, propter aliquem bonum finem fiat, ne veniale quidem esse, constat, etiam si damnum illi sequeretur, sed non à te intentum; tunc enim id erit per accidens.

Secundò, ex odio graui, esse certè mortale, propter malum effectum, patet ex se.

15. Tertiò, te peccare contra charitatem, si ex eo, quod crimen alibi notum, alibi manifestans, damnum grave aliquod, præter ipsam infamiam, infamato contingat; ut si propterea ei denegentur debiti honores, vel idem privetur bonis, in carcerem conijciatur, vel puella non nubat &c.; ratio est manifesta, quia charitas dicitur, ut quando sine magno incommodo possum, impediam malum grave proximi. Non peccas autem contra iustitiam, unde nec obligaris ad restitutionem damni secuti, quia supposito crimine publico, non es injurius infamato, ut dictum est.

16. Dices; si crimen, quod publicum est

cam est in vno loco, potest in alio re-
ferri, ergo si quis est notatus publicè in
vna vicinia, poterit in alia notari,
ergo si quis in Collegio, vel in Mona-
sterio est graui crimine diffamatus,
poterit etiam in civitate diffamari,
quod certè non videtur admittendum.
Respondeo, nego secundam conse-
quentiam; vnde non admitto, posse
crimen Religiosi, immo & familiæ ali-
cuius particularis, publicari apud exte-
ros; ratio est ducenda ex illo princi-
pio, quia Collegium, Familia, Mona-
sterium reputantur veluti vna persona,
& malum vnius habitantis redundat
in malum alterius, propter conjun-
ctionem moralem, quam habent, quæ
moralis conjunctio tam arcta non est
in civitate vel vicinia: hinc enim fit,
ut si publicum crimen vnius ibi habi-
tantis pandatur apud sæculares vel ex-
teros, oriatur aliquando injuria, si non
contra ipsum peculiarem & præcisum
Religiosum, certè contra communita-
tem illam; offenderetur enim mona-
sterium vel familia, quæ habent jus
retinendi res suas secretas & occultas
(quod jus non habet civitas vel vici-
nia) atque adeo peccaretur contra ju-
sticiam.

Hinc tamen ne inferas, de aliquo
Collegio vel familia numerosa dice-
re indeterminatè, ibi qd aliquem in-
veniri improbum, semper esse morta-
le: nam etiam in Collegio Apostolo-
rum adfuit Iudas; nisi fortè inde ori-
atur notabile dedecus, ut si dicas, in hac
familia adesse vnam filiam deflora-
tam, vel quid simile.

qq Melina Azor. Clav. Reg. apud
Bon. d. 2. de rest. qu. 4. p. 2. n. 10.

Publica in alio tempore.

17. Ex dictis resolui debet alia
quæstio, an si sit aliquis, qui in sua ciui-
tate laboravit infamia publica, sed jam
acquirit bonum nomen in eadem,
vel in alia civitate, an, inquam, peccet
is, qui illius crimen antiquum, vel an-
tiquam infamiam propalet? quod
idem est, ac si quæramus, an quæ fue-
runt publica vno tempore, & postea
obsoleta, possint publica iterum fieri?

18. Dico cum Fagundez & alijsque,
non peccari contra iusticiam, nisi fortè
propalatio peccati præteriti det ratio-
nabilem causam affirmandi, nunc il-
lum esse malum, vel nisi aliud proximo
sequatur damnum. Ratio excep-
tionis est, quia præsentem famam
nondum proximus amisit, & damnum
illud de novo confurgit, ergo illam tol-
lere, & huius damni causam dare sine
iustitia non possumus. Ratio dicti
est, quia famam præteriti temporis jam
amisit infamatus, ergo contra iusticiam
non agimus, si contra eam obloqua-
mur. Agere autem tunc nos contra
charitatem, alicui videbitur, quia hoc
infamiæ malum, quod ex refrigatione
peccati præteriti proximo insurgit, tu
facile, id est, solum tacendo, avertere ab
illo potes, ergo charitatem offendis, si
non avertas. Video, posse dici,
proximum jam amisisse omnino
famam pro tempore præterito, vn-
de nec esse contra charitatem, pro
solo illo tempore eam tollere. Et vi-
deo, posse hic applicari aliqua ex dictis
paulò ante n. 11. & 12. sed hæc alij ex-
pendant.

Zzz 3

19. Inqui-

r *Fagund. pr. Eccl. 2. li. 5. c. 8. nu. 16. citans Sot. & Lessum. Sed contrarius est Delugo t. 1. de just. d. 14. sec. 6. a nu. 85. immo idem Fagund. in Decal. l. 8. c. 4. num. 4. videtur mutasse sententiam, ubi dicit, in hoc casu peccari, tum contra charitatem, tum contra iustitiam.*

19. Inquires; excusaturne à peccato primò, is, qui crimen alterius verum, sed injustè propalatum alijs manifestat? secundò, is, qui crimen quomodocumque alteri publicè, sed falsò impositum, alijs propalat? respondeo, excusari rr priorem (ut numero 9. dixi: excipe semper, nisi sit ex revelatione sigilli confessionis) non excusari posteriorem; ratio utriusque est, quia in posteriore casu adest injusta cooperatio ad damnum famæ alterius, qui semper habet jus intrinsecum, fundamentum in sua probitate, ne falsum de se narretur, vel confirmetur. At in casu priore, injusta cooperatio non adest; nam illi hic & nunc, nullum jus remanet ad suam famam; non enim remanet illi jus illud intrinsecum ex eo, quod peccatum non commiserit; jam enim supponimus commisisse; neque ex eo, quod occultum sit, quia jam est publicum, ergo &c.

rr *Less. l. 2. t. 11. n. 77.*

Affinitas in criminibus.

20. Sextò, excusatur s, qui prodat vnum peccatum, licet occultum, sed quod sit valde affine, vel connexum cum alio publico ejusdem; sic enim non censetur nova infamia. Quod si affine non sit, nequaquam excusaberis; non enim valet, hic est infamis, in ma-

teria luxuriæ, ergo in materia hæresis, Silvester t. asserit, non esse mortale, infamatum in graviore crimine, infamare in leviori, ut si de homicida, vel fure dicas, eos fuisse fornicatos. Sed non assentior: semper enim censetur infamia nova. Illud quidem admitto, aliquando hominem esse ita propositum famæ, ut parum ipsi accrescat infamiae, si aliud crimen, etiam non affine, de ipso dicatur, & tunc non peccabitur, nisi venialiter, propter parvitatem materiæ.

9 *Navar. Less. Azor. alijque apud Bon. l. c. p. 7. & Silv. v. Detractio, q. 1. ad finem.*

ob malum avertendum &c.

21. Septimò, excusatur n, is, qui detegit alterius occultum crimen verum, quomodocumque à se, siue justè, siue injustè cognitum, siue cum promissione servandi, etiam in mortis periculo, secretum (de qua promissione videatur Delugo x) excusatur, inquam, qui id detegit, in ijs casibus, in quibus conceditur, posse detegi. Conceditur autem ad vitandam mortem, etiam si propalatus incidat ipse in periculum vitæ, ad vitanda gravia tormenta, ad consilium capiendum, ad impediendum damnum grave, quod imminet alicui personæ, multo magis reip. quatenus tamen ad tale damnum avertendum sit necessarium, & non sit alia via, qua damnum averti queat, ut esset non raro correctio fraterna.

u *Sot. Nav. Mol. Less. apud Delugo t. 1. de just. d. 14. sec. 7. à n. 95. leg. item Fagund. in Dec. l. 8. c. 6. Dicast. l. 2. de just. tr. 2. d. 12. n. 2. d. 3. x Delug. ib. n. 115.*

22. Damnum

22. **Damnum grave**, dixi, quia non est necesse, ut sit gravius, quam illud, quod subibit ille criminofus, qui à me manifestatur. Hinc cum, quem novi furem, possum propalare ijs, quibuscum habitat; quem novi imperitum Medicum, Advocatum, Confessarium, Artificem, possum manifestare ijs, quibus damnum fieri ex illorum imperitia potest; quem novi homicidam, vel habere impedimentum dirimens, possum aperire Iudici, vel Parocho, ut innocentem liberem, & ne matrimonium celebretur, immo aliquando in his debeo ex charitate, quando scilicet innocenti magnum malum obveniret, nocenti modicum, atque in dubio inclinandum est pro innocente, semper supponendo, spem adesse malum averrendi.

23. Ratio huius septimæ excusationis est, tum quia nemo obligatur, nec communiter intendit se obligare ad servandum secretum in concursu propriæ vitæ, vel magni mali; tum quia nemo habet jus ad famam immeritò acquisitam, cum alterius innocentis periculo.

24. Si in nullius damnum vergat fama fictis artibus acquisita, illam denigrare, etiam verum crimen detegendo, non potes; quia tunc nullam rationabilem causam haberes auferendi præsentem famam alterius. Hinc si simulatio nemini noceat, ut quando pauper fingit pietatem, & mulierculæ in foro sanctitatem fingunt, ut elemosynas accipiant, licet occultis vitijs laborent, non sunt manifestandi, si perniciosi reip. nequaquam sint; sunt enim capaces elemosynarum, quia sunt

pauperes, & occultis suis peccatis sibi solum afferunt nocumentum.

a *Fagund. lib. 8. in Decal. l. c. 3. num. 3.*

Aliqua huc spectantia, & an accusator, vel reus possint Iudici aliena crimina occulta propalare, superius diximus §. 4. n. 2. & 4.

25. Quod si quæras, cur ad tuendam vitam, immo & ad vitanda tormenta grauiora, possum alterius crimen occultum aperire, non verò falsum imponere, cum vtrumque b sit, infamare? respondeo, quia ipso lumine naturæ apparet, minus esse infamare, afferendo verum, quam imponendo falsum. Cum igitur ego habeam jus ad vitam servandam ex vna parte, & ex alia aliquod tandem jus habeam propalandi ea, quæ in mundo extiterunt, mihi que sunt nota; idcirco eo jure vti potero in mea necessitate; esto, per accidens sequatur malum alterius; at ad dicendum falsum, cum id nunquam extiterit, nullum prorsus jus habeo. Adde, me non posse innocenti damnum inferre, idcirco non possum illi falsum impingere: at si verè quis commisit crimen, innocens non est; unde sequitur, ne per æquivocationem quidem, posse me alicui falsum imponere, etiam ad meam vitam conservandam; quia ejusmodi æquivocatio, esto, amoveat formale mendacium, non tamen amovet damnum innocentis. An ad me defendendum à falso teste, dixi cap.

2. §. 2. num. 5.

b *Navarr. Reg. Less. Sotus, alijque apud Benacini. d. 2. de rest. q. 4. p. 19. num. 10.*

26. Illud probabile putat Lessius, c
vi tor-

vi tormentorum, vel ex simili capite, posse quempiam sine mortali falsum crimen de aliquo confiteri, modò is animum habeat, post tormenta refarciendi famam (adderem ego; modò sit certus moraliter, de facto refarturum) & modò non sequatur infamato aliud damnum, nisi mera illa parum duratura infamia. Ratio esse potest, quia infamia tam brevis durationis, tam parui ponderis est, ut non in vitus censendus sit, eam infamatus pati. Video tamen, hanc doctrinam sine alio damno, nisi meræ infamiae, ad breve tempus, in praxim deduci non posse, ac propterea vix præcisè sequendam.

c *Less. l. c. d. 8.*

Iusta querela.

27. Octavo denique excusantur à Joanne d laCrux ij, qui iustè conqueruntur: si persona, inquit, secreto gra-
„ viter injuriata, non valens se à dolo-
„ re cohibere, in querimonias erum-
„ pit publicas, non illico de peccato
„ mortali damnatur, si injurians infamatur;
„ metur; durum enim videtur, sic
„ afflictum animum cohibere, ne in
„ querimoniam prorumpat, cum hoc
„ naturalissimum sit. Hæc ille, penes
„ quem sit autoritas: ego enim potius
„ hunc excusarem ex primis motibus, &
„ ex involuntario &c.

d *Joann. la Crux in Direct. Confess. p. 8. qu. 2. art. 2. d. 3. conclus. 1. apud Dian. p. 3. tract. 5. res. 32.*

9. III.

Excusationes restituendi famam.

1. **N**eminem præterit, adesse obligationem restitutionis famæ, & damnorum realium, quæ ex se ab infamatione consequuntur proximo.

2. Et famæ quidem est restitutio personalis; at damnorum est realis;

3. Unde fit, ut hæredes infamati restitutionem damnorum temporalium petere possint, cum obligatio realis afficiat bona defuncti; non verò possint petere restitutionem famæ, nisi etiâ, & in ipsos infamia redundaverit.

a *Bonac. d. 2. de rest. q. 4. p. 16. n. 15. alijque.*

3. Non desunt tamen suæ causæ excusantes à prædicta famæ restitutione, quas jam aggredior.

Non peccasse contra justitiam.

4. Excusatur primò à restituenda fama is, qui non peccavit contra justitiam. Quare quoties in superioribus & in consequentibus invenies, infamantem per suam actionem, externam solum peccasse contra charitatem, vel aliam virtutem, & non contra justitiâ, toties eum non obligari ad restitutionem, pronuntiato. Ratio satis est dicta superius, cum de restitutione.

Non graviter læsisse.

5. Secundò excusatur item à restitutione

ditione famæ sub mortali, qui modice, seu in parva materia detraxit; hæc autem, quamvis sit, non multò ante vidimus §. 2. num. 3.

6. Excusat item à restitutione Filiucius, b eos omnes, qui infamant non de peccato mortali: notat enim, nec rejicit, Sylvestrum c, & Navarrum d universaliter asserere, detractionem, ut obliget ad restitutionem, debere esse de peccatis mortalibus. Perpendat id doctus Lector; sequeretur enim, nunquam famam denigrari, nisi per peccati mortalis manifestationem; quam sequelam expresse concedit Azor l. c. Quia, inquit, per detractionem venialis culpæ non læditur notabiliter fama, cujus tamen contrarium colligitur ex dictis supra, præsertim §. 2. num. 2. & 4.

b *Filiuc. tr. 32. c. 9. num. 229, cui addit Azor. qui idem expresse docet p. 3. lib. 13. c. 7. du. 4. c. Sylvest. v. Detr. q. 1. d. Navarr. in summ. c. 18. n. 24.*

Sine culpa læsiffe.

7. Tertio, qui omnino inculpate; ut si credens, peccatum esse publicum, illud alijs aperuit, certum est excusari ex capite injustæ infamationis, quia jam supponimus, hunc non peccasse mortaliter, idem est, si per imperfectam deliberationem, (esto, venialiter peccaverit) alium graviter infamavit, ut colligi potest ex dictis superius, ubi ad obligationem gravem restituendi, gravem culpam theologicam requisivimus. At verò, an uterque ex aliquo alio capite obligetur, non vulgaris est difficultas.

8. Aliqui dicunt, obligari ex quasi re accepta. Verum ne immoremur in loquendi modis, dico, obligari, & quidem e ex Iustitia, & non solum ex charitate (ut aliqui sentiunt) quando plenè deinde advertet, ex suo dicto injustè proximum fuisse infamatum. Ratio est, quia Iustitia non solum præcipit, ut ne quis det causam damni, sed etiam, ut eandem tollat, si fortè posita ab eodem sit: ad eandem enim virtutem pertinet, malum sibi oppositum non ponere, & tollere, si illud ab eodem subjecto, in quo est virtus, positum est. Si parasti laqueum ad suffocandum hominem, si dedisti venenum, si incendiisti segetem, omnia inculpatè, sed adhuc laqueus, venenum, & incendium vigent, quis te non obligabit ad ea removenda, si potes? etiam cum aliquo tuo non magno incommodo; (licet putem, non fecum tanto incommodo, quanto, si culpam gravem cum plena deliberatione adhibuisses, quia illa prima bona fides aliquid debet demere de obligatione: vide omnino mox num. 21.) quamvis enim si tertius quilibet possit, non obligetur nisi ex charitate, tu tamen, qui re ipsa, licet sine culpa, causam damni dedisti, majorem obligationem contrahis, quæ major obligatio vix explicabitur, nisi dicamus, hanc esse ex Iustitia, vel quasi. g. Ita igitur in casu nostro, quandoquidem tu causam, licet inculpate, injustæ infamiæ posuisti, illam tollere, si potes, modo dicto debes. Quod si non tollas, obligaberis ad omnia damna, etiam realia, quæ ex tali infamia sequentur, postquam tu advertis, injustè fuisse proximum à te infamatum: non verò ad

A a a

ea, quæ

ea, quæ fortè ante hanc advertentiam secuta fuerint. Ratio est, quia pro his in nulla culpa fuisti: at pro illis, dum advertisti, & potuisti, ut supponimus, sed noluisti damna impedire, gravem commisisti culpam, & in nostra sententia contra iustitiam.

e Molinat. 5. diff. 40. f. Rebel. Less.
apud Barth. de S. Faust. d. 21. d. 42. num. 1.
g. Vide in simili Delugot. 1. de iust. d. 8.
sec. 7. n. 25. c. 2. d. 39. sec. 3. num. 27.

Consensus infamati, vel ejusdem remissio.

9. Quartò, excusatur à restitutione famæ, quando quis infamat volentem.

10. Quintò, quando prava fama notatus, suæ famæ restitutionem remittit, modò tamen in utroque hoc casu infamia non sit conjuncta cum alterius, de qua is disponere nequeat. Vide Fagundes, cc docentem, sufficere remissionem solius Religiosi, si is fuerit infamatus in crimine nò redundante in religionem; secus, fore necessariam remissionem superioris, de consensu Religiosorum, in quos macula redundavit.

cc Fag. lib. 8. in 8. Dec. pr. c. 3. n. 15.

Insta, vel non nocens detractio.

11. Sextò, quando d de aliquo justè detraxisti: detraxisti autem justè in casibus supradictis §. 2. n. 21.

d vid. S. Th. 2. 2. qu. 62. ar. 2. ad 2.

12. Septimò, quando quis est ita infamis in ea re, ut prudenter non judicetur pati novam infamiam ex nova detractio. Hinc colligo, si detractori non adhibeatur fides, quia judicatur

esse mendax, aut joco; aut ex ira dixisse, eum excusari à restitutione, quia infamatus non est passus damnum. Quid, si infamans putet, se damnum fecisse, cum tamen non fecerit? respondeo, tunc obligabitur restituere ex conscientia erronea; sed si resciat, damnum non fecisse, liberabitur à restitutione.

13. Octavò, quando infamia conmaculatus jam aliunde recuperavit suam famam.

14. Nondò, quando infamia data est oblivioni, id quod usu venire solet in absentibus & defunctis. Ut autem crimen alteri narratum prudenter existimetur moraliter certò oblivioni mandatum, 20. annos requiri putant aliqui, sed melius id prudenti judicio relinquendum. Dixi (moraliter certò) nam si sit dubium, restituenda est fama, & & quidem modo, quo mox dicam §. 4. nu. 3. quia tunc certa est infamia, & dubia excusatio.

e l. Cordab. Navar. Val. apud Barth. de S. Faust. in specul. d. 21. q. 68.

15. Decimò, quando post infamiam à te alicui ablatam, capit is laborare publica infamia in eodem vel simili crimine, de quo illum notasti, juxta supradicta §. 2. n. 20.

Infamatio reciproca.

16. Undecimò, quando duo se invicem infamarunt; probabile e e enim est, tunc neutrum ex iustitia teneri ad ad famæ restitutionem, quia quando jura sunt æqualia, censetur utraque pars satisfacta, & tacitè invicem se compensasse. Altero autem restituyente, te-

pati

ferri alterum restituere, palam est; ut etiam, si infamiae fuerint notabiliter inaequales, excessum ab altero debere, eo meliori modo, quo potest, restitui, ne sit dubium.

ee *Less. l. 1. d. 25. Silv. Malderus apud Dian. p. 3. tr. 5. ref. 30. Bon. d. 2. de rest. q. 4. p. ult. n. 1. & 2.*

17. Adverte hic duo. Primò, me non asserere, licere tibi alium infamare, solum quia tibi infamiam intulit; hoc enim esset, vindictam sumere, quod non licet privato; solum enim ajo, ex suppositione aequalis infamiae ex utraque parte factae (utique illicitè) neutrum ad restitutionem obligari: adverte secundò, si propter infamiam secutum est alterutri damnum reale, hoc esse restituendum, nisi fortè ex utraque parte fuerit aequale damnum illatum; tunc enim fieri poterit compensatio; vel si fuerit inaequale, facienda solum erit restitutio excessus.

f. *Less. l. c. n. 13.*

Frustranea restitutio.

18. Duodecimo, excusatur à restituenda fama is, qui prudenter novit, audientes nullo modo fidem habituros ei, qui se à detractioe facta retractat. Ratio est, quia tunc retractatio esset superflua. Certè is saltem laudare conetur infamatum, ut sic aliquo modo refarciat infamiam. Si dubium sit, an retractatio sit profutura, omnino exhiberi debet, quia in dubio melior est conditio ejus, qui injustè à bona fama deturbatus est.

Damnum proprium.

19. Decimotertiò, excusatur is, qui magnum damnum incurreret, si resti-

tueret: id quod, ne erratur, quatuor dictis explico, modò recolas, quatuor item esse bonorum ordines, videlicet supremi ordinis esse bonum animae, tum corporis, id est, vitae vel membrorum, deinde famae, adde & honoris, denique pecuniae.

20. Dico primò, infamantem teneri ex Iustitia, restituere famam cum aequali suae famae, seu alterius aequalis damni periculo, vel paulo majore.

g. *Mol. tr. 4. d. 47. Less. lib. 2. c. 11. d. 15. Azor. t. 3. l. 5. c. 9. q. 12. Val. t. 3. d. 5. q. 6. p. 7. Salon. Navarr. alijque apud Bonacin. de rest. d. 2. q. 4. p. ult. n. 12.*

21. Dico secundò, non teneri cum notabiliter majore, quod scilicet ambitio prudentium appareat longè majus, quàm damnum alterius famae. Ratio hujus & praecedentis dicti est, quia Iustitia commutativa, quando agitur de aequali, vel parum majore damno, exigit, ut potius illud patiatur, qui damnum injustè intulit, quàm innocens: at, quando damnum est longè majus, daretur ultra aequalitatem, quàm exigit Iustitia commutativa, ad quod nemo rationabiliter obligari potest, obligaretur enim ad dandum longè supra, ac debet. Hinc merito colliges, te non teneri ad restitutionem famae, cū propriae vitae periculo, vel magne infamiae, infamato nihil vel parum in eadem vita vel fama periclitante: tunc enim solum teneris refarcire damna realia, si quae per infamiam tuam proximus per te est passus; at si ex infamia, quā falso imponendo alteri intulisti, vitae, seu notabilis famae periculi is, vel alius subeat, vel notabile malum Reip. impendat, tunc

Aaaa 2

tunc

tunc profectò teneris restituere famam, do accederet sententia iudicis, infamiam cum tuo æquali vitæ discrimine, mantem cogens ad restituendum, seu quando prudenter putas, tuam retractionem profuturâ innocenti. Ratio est quia Iustitia, ut dictum est, requirit, ut in periculo æquali, potius subeat illud damnum nocens, quàm innocens. Vñh testibus falsis, de quibus vide lib. 8, Tr. 4, cap. 1, §. 2, n. 6.

22. Dico terriò, non teneri *h* quemlibet restituere famam, cum iactura boni superioris ordinis, v. g. animæ, & vitæ seu membrorum. Ratio hujus dicti fundatur in ratione præcedentis conclusionis, quia sci licet iactura superioris boni est longè major, quàm iactura inferioris; cum ergo salus propriæ animæ & vitæ sit longè, immo incomparabiliter major, quàm fama alterius, hujus restitutio non est saluti illorum præferenda. Vide, quæ dixi, cum de restitutione ex homicidio.

h Turrian, Malder. alijq, apud Dian. p. 3, tr. 5, ref. 30.

23. Dico quartò, probabile esse, si non potes restituere famam injustè ablatam, te non teneri compensare pecunia, etiam si infamia notatus pecunia sibi satisfieri petat. Ratio est, quia nemo restituere tenetur, nisi quòd ablatum est, & quidem in eodem genere; Iustitia enim solùm exigit, ut fiat æqualitas in eo, in quo damnum alter recipit; ergo in eodem genere, non in alio; adde, fieri non posse æqualitatem à Iustitia intentam, nisi detur æquivalens; at pecunia nulla æquivalet famæ; lege m Colligo ex Lessio l. c. dub. 22. & Lessium l. qui addit, in eo solùm casu num. 118. & ex Molin. ac Rebell. cit. teneri in pecunia, quando quis posset in suo genere restituere, sed nollet, & quan-

i Layman, Filliuc, Turrian. Nayarr. Sylvest. alij apud Dian. p. 3, tr. 5, ref. 30. l. Less. l. c. d. 16.

24. Inquires. Dictum est infamantem teneri ad restitutionem famæ, cum suo pari; vel parum majore damno, estne id universaliter verum? respondeo, ita, in infamante cum culpa gravi. At cum, qui vel sine gravi culpa, vel omninò inculpate infamator fuit, de quo diximus num. 7. & 8. solùm obligarem, quando non incurreret damnum notabile *m*. Ratio est, quia ipsum lumen rationis dictat, mitius esse agendum cum infamante sine culpa, quàm cum culpa gravi. Certè qui ex officio v. g. Medicus hospitalis, medetur vulnerato, tenetur ex Iustitia, & tamen non tenetur cum tanto rigore, quanto tenetur is, qui injustè vulneravit: medicus enim non tenetur *n* cum æquali suo damno, quia non obligatur ad medendum ex culpa, sed ex contractu, & ex alia parte homines suscipientes ejusmodi ordinaria officia, non censentur cum tanto rigore se velle obligare, ex injusta actione. Cum ergo in casu nostro infamator supponatur, non commississe culpam gravem, quamvis teneatur ex iustitia, ut dicto num. 8. dictum est, non tamen cum tanto rigore tenebitur &c.

m Colligo ex Lessio l. c. dub. 22. & num. 118. & ex Molin. ac Rebell. cit. supra num. 8. litt. K. n Less. ibi, & c. 13, num. 70.

QNA

§. IV.

Qua ratione fama sit restituenda.

Vel imposuisti falsum, vel verum crimen propalasti: si prius debes a coram iisdem affirmare, te falsum dixisse, etiam si in tuum æquale, vel paulò majus dedecus id vertatur. Dico (æquale vel paulò majus) propter modò dicta à n. 19. Nam propter eandem rationem Villalobos ait, virum gravem, Prælatum v. g. non obligari dicere, se mentitum esse: id enim multo ipsi esset dedecori. Sufficiet ergo, inquit, si is reddat famam eo modo, quo reddere obligatur ille, qui infamavit, verum crimen propalando, quod jam subdo.

a *S. Th. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2.* b *Villal. in summ. t. 2. tr. 11. diff. 37. n. 3.*

2. Si enim posterius, hoc est, crimen verum occultum evulgasti, uti poteris equivocatione, ut si dicas, eum hominem crimen illud nequaquam patrasse, intelligendo (publicè, vel quid simile) non raro c sufficiet laudare in eodem genere, quo vituperasti; ut si dixisti, me fuisse avarum, dicas, me multas elemosynas distribuisse. Denique illud mente retineas, detractorem debere famam ablatam cum effectu, quantum in se est, rescire, hoc est, facere; ut infamatus suum decus recuperet; Cæterum ex circumstantiis intelligendum, quæ verba, quæ laus, qui modus loquendi requiratur, & satis sit.

c *Sotus, Cajet. Villal. alijque apud eruditissimum Dian. p. 3. tr. 5. ref. 30.*

Si alia via non datur rescindi al-

terius famam, nisi adhibendo juramentum, & testes & sumptus, nec sufficiat, serio se retractare, etiam ad id obligari communiter infamatorem, docet verior sententia d, licet Faber ad tam extraordinaria media non obligari contendat. Sed Fabri e sententia tunc solùm est admittenda, quando hæc media extraordinaria notabile majus damnum afferunt infamanti, modo supra §. 3. n. 21. dicto; nam cæterum ad alia media id non afferentia, obligatur infamans, ut ibidem vidimus. An aliquando obligatur ignotus infamator, se prodere, si id sit necessarium, ad reddendam proximi famam? dic, communiter nõ obligari, quia communiter resciri potest proximi fama, sine notitia personæ, quæ infamavit. Obligari tamen poterit in aliquibus casibus, quando aliter injustè infamati fama resciri nequit, nec ulla ex prædictis adest pro te excusatio. Vide id pluribus apud Fagundez f.

d *Turr. Navarr. Mol. alijque cum Diana ibi. ref. 29.* e *Faber apud eundem diligentissimum Dian. ibid.* f *Fagund. li. 8. in Dec. c. 13. à n. 2.*

3. Quando restituenda est fama, cujus infamia, siue propter temporis lapsum, siue propter aliud, dubitatur, an oblivioni sit data, maximè cavendum est, ne dum notam obliterare contendis, ejus memoriam refrices. Tunc ergo sufficiet, infamatum g laudare de contraria virtute, idque cum ea dexteritate, ut audientes prudenter judicentur, deponere injustam proximi existimationem.

g *Cæst. & Rebell. quos citat sequitur Barth. à S. Faust. d. 21. q. 60.*

A a a 3

An De-

§. V.

An detractor restituere teneatur famam, non solum apud suos auditores, ut certum est, sed etiam apud eos, apud quos iidem auditores detraxerunt?

Hic tria mihi sunt certa, unum incertum. Certum est mihi primò, si crimen propalasti viris gravibus, communiter reputatis ut probis, qui prudenter à te credebantur alijs non revelaturi ea, quæ à te etiam injustè infamante acceperunt, te non obligari, nisi ad restituendam famam coram his, non verò coram alijs, quibus ipsi propalaverunt. Ratio est, quia tunc per accidens est, respectu tui, ipsorum revelatio, & eorundem malitiæ imputanda.

a Villalob. apud Dianam p. 3. tr. 5. res. 34.

2. Certum secundò. Si idem his, vel etiam uni crimen proximi aperuisti, ut hi alijs patefacerent, te obligari, etiam coram alijs, quantum moraliter potes, famam proximi restituere. Ratio est, quia tunc ij fuerunt instrumentum tuum, tu verò causa principalis.

3. Certum tertio mihi videtur, si advertis, auditores tuos esse malos, & prævides, faciliè coram alijs locuturos ea, quæ illis manifestas, te obligari, etiam coram illis alijs, famam restituere. Ratio est, quia tunc videris esse causa directa ejusmodi oblocutionis, peccando non solum contra charitatem, sed etiam contra Iustitiam: siquidem ponis ignem detractionis in manu ejus, quem certo moraliter vides paratum ad in-

cedendam bonam segetem famæ alterius.

4. Iam verò incertum mihi est, an obliger restituere famam coram illis alijs, quando eosdem auditores meos ego non reputo probos, vel graves, sed nec reputo improbos vel leves; ut item non reputo eos oblocuturos, sed nec reputo non oblocuturos. Id certè communiter in praxi contingit, cum sapissimè à detractore non fiat animadversio de bonitate vel fidelitate suorum auditorum.

5. Affero, mihi probabile fieri, me tunc non obligari, nisi ad restituendam famam coram meis auditoribus, non verò coram alijs, quibus ipsi meam detractionem notam fecero. Ratio est, quia cū nemo sit præsumendus malus, nec malè oblocuturus, non censeo ego, quando precipivè dicto modo me habeo cooperari cum ipsorum peccato, ut censeo in casu numeri præcedentis.

b Colligo ex Fabro apud Dian. l. c.

§. VI.

An se infamare quis possit.

Sine mortali, per se, posse, jam nunc est communis à doctrina, quia sicuti quis facultates suas per se, sine mortali, dispergere valet, ita suam famam, cujus est pari modo dominus.

a Sotus, Navar. alijs communiter, qui citat, sequiturque. Less. li. 2. c. xi. dub. 2. contra Cajet. 23. qu. 73. art. 2. Et in summa, si detrahitur contra quem etiam agit Barthol. à S. Fausto in specul. Conf. d. 21. q. 5.

2. Dixi (per se) non lethali ter peccabitur,

cabitur. Primò si infamia redundat in alios, puta, filios, familiam, religionem; secundo, si infamator se infamando, afferat irrationabiliter sibi periculum vite, vel mutilationis membrorum (horum enim non est dominus, & de quibus absolute disponere possit homo.) tertio, si inde oriatur alicui notabile damnum, ut si se Prælatus infamet, unde suos bene regere nequeat; an verò mortaliter peccet, contra charitatem tantum, an etiam contra Iustitiam, vide apud citatos.

3. At si sine causa se quis infamia notet, peccari venialiter, certum sit, quia aliqua hæc est prodigalitas. Causæ autem hæc reducuntur ad tres. Prima est amor humilitatis discretæ & prudentis. Secunda est necessitas vitandi sibi vel alijs tormenta, vel damna gravia. Tertia utilitas, qua acquiratur bonum aliquod notabile sibi vel proximo: tunc enim charitatis motivum justam reddit diffamationem b.

b Delug. t. 1. de just. d. 14. sec. 10 num. 156.

4. Sunt tamen diligenter duo distinguenda. Potest enim se quis infamare, vel propalando peccatum suum verum vel impingendo sibi peccatum falsum: hoc difficilius est, illud sanè facilius.

5. Dico enim primò, ad evitanda tormenta gravia, immo & levia, posse e quemlibet occultum suum, quod commisit, crimen manifestò proferre, etiam si sit sibi mors imminens secutura. Ratio est, quia quilibet potest cum laude mori, propter scelus à se patratum, morte dignum, & ex alia parte

obligatio conservanda falsum non est valde rigorosa, ut ex dictis patet.

c Less. Salon, Clavis Reg. alijque apud Bonacin. d. 2. de rest. qu. 4. p. 10. n. 7. quibus adde Tol. aliosque citat. à Delugo l. c. num. 104. contra Mol. aliosque ibid cit.

6. Dico secundo; ad tormenta, damnaque gravia vitanda, posse d quemlibet sibi falsum grave crimen imponere, etiam si mors sit sibi secutura: at non ad vitanda levia; ratio prioris partis est, quia nemo tenetur, cum tanto incommodo vitam sibi conservare, ut alibi dictum est; ratio posterioris est, quia quilibet tenetur, vitam custodire, quando non magna difficultate potest: at nunc potest tormenta levia sustinere; ideo enim levia sunt, quia sustineri à te possunt: secus, essent gravia. In priore dicto semper supponimus, abesse perjurium, cui infamator sui providere non difficulter poterit per equivocationem: itemque abesse damnum tertij, quod si fortè intercurreret, ut si idem infamet familiam &c. providere etiam illi damno poterit, se statim retractando, ac publicè fatendo, se tormentorum vi sibi crimen imposuisse. Verum debet adesse spes, ejusmodi retractione futura, quæ regulariter non adest: nunquam retractanti creditur à Iudicibus.

d Barth. à S. Faust. in Spec. Conf. d. 21. qu. 6. n. 5. & 6. licet immemor sui dicti, non posse sine mortali, dicat ibi disp. 2. q. 24. n. 14.

7. Vtrum ad salvandum patrem vel amicum possit quis sibi fingere crimen falsum, videantur laudati e Doctores.

e Delug. l. c. nu. 183. Less. l. c. num. 40. alijque ab ipsis citatis.

De

§. VII.

De audiente detractorem.

Qui primò ita audit, ut inducat vel excitet ad detrahendum (id quod etiam solum interrogando fieri contingit) & secundò, qui audiendo, latatur solum de detractone, ut infamia est proximi, licet non inducat, peccare mortaliter, nimis clarum est; illum quidem contra iustitiam, unde obligetur ad sanæ restitutionem, hunc verò contra charitatem, adque adeo sine ejusmodi obligatione. Peccat etiam contra charitatem, qui facile potens impedire gravem detractionem, non impedit: charitas enim vult, ut damnum proximi avertamus, si facile possumus. Contra, qui supposita detractone, sine ullo ipsius desiderio, latatur non de ipsa infamia, sed de sola curiosa vel nova cognitione factorum proximi, vel de eloquentia detractoris, valdè probabile est, ex hoc præcisè, non peccare mortaliter. Ratio est, quia tunc is non inducit, non desiderat, non infert aliquod damnum infamato, & ex alia parte solum latatur de re vel indifferenti, vel certè non prava mortaliter, semper intellige, modò excusetur ab impedienda detractone, de qua excusatione mox à nu. 5. quia secus, censetur ad illam detractonem inducere.

a Navarr. *Sot. Aror. alijque apud Bonac. de rest. l. 2. q. 4. p. 11. a num. 1.*
b *Iidem, & Dicast. lib. 2. de iust. t. 2. d. 12. p. 4. dub. 20. num. 345.*

2. Dices. Si mera curiosa cognitio factorum proximi non est mortalis, ergo non peccarem ego mortaliter, si animo rem nullatenus aperiendi, velim crimen occultum, v. g. adulterium Clerici observare, ut de illo conscius sim; quæ tamen consequentia non videtur concedenda, quia quilibet habet jus, ne sua occulta crimina ab alijs fiant, & ne ipse apud alios infametur.

Respondeo cum Fagundez *bb*, concedendo, me tunc non peccare, saltem mortaliter, modò dicta observatio non sit ex odio, vel alio pravo mortaliter fine. Id autem concedo, ex eo capite, quia paulò ante diximus, propalare crimen proximi uni vel alteri, qui prudenter judicatur, non esse revelaturus alijs, probabiliter non esse mortale; quare nec erit mortale, ejusmodi Clerici adulterium fieri notum mihi, alijs illud non manifestaturo.

bb Fagund. in 8. Decal. præf. l. 8. c. 3. num. 6.

3. Quoniam autem dictum est, peccari saltem contra charitatem ab eo, qui audiendo detractonem, eam non impedit, si potest, difficultas emergit, & quidem timorata conscientia valdè molesta, quandonam judicandum, sit, impedire eum posse, atque adeo peccare, si non impedit? solet enim persæpè contingere, ut aliquis inveniat in convitio aliquorum, qui graviter de alijs detrahunt; sed quia, præ verecundia vel simili causa, illos non impedit, semper dubitat, an facile possit impedire, & consequenter an peccet?

4. Si

4. Si solus vnus vel alter æque taci-
torni essent presentes, is non pecca-
ret, quia nec peccaret detrahens, ex
modo dictis; at casus noster est, quando
coram pluribus exhibetur detractio.

Respondeo, in hoc casu communi-
ter te non peccare, nisi ad summum ve-
nialiter, raro mortaliter. Mortaliter
peccabis (& quidem solum contra cha-
ritatem, nisi sis superior, vel alius, cui
incumbat ex iustitia, famam detracti
defendere) in eo tantum casu, quo
nulla adest excusatio ex mox dicendis:
venialiter dumtaxat peccabis, immo
ne peccabis quidem interdum, quando
aliqua adest ex his excusationibus,
quas & jam subdo.

c. Ex Soto, Navar. Melin. Lesio, alijs-
que citatis à Bonac. de rest. in par. d. 2.
qu. 4. p. ultim. & à Dian. p. 2. tr. 17.
resol. 24.

5. Prima est, quando detractio est
levis.

5. Secunda, quando, licet sit gra-
vis, fit tamen coram vno vel altero
prudenti, juxta superius dicta.

7. Tertia, quando rationabiliter
putas, auditores fidem non habituros.

8. Quarta, quando advertis, tuam
resistentiam se monitionem non pro-
futuram.

9. Quinta, quando non es morali-
ter certus, obloquentem injustè & de
gravi crimine occulto obloqui.

10. Sexta, quando judicatur de-
trahens habere justam causam detra-
hendi, puta, ut consilium petat, vel ut te
vulter moneat, vel ut dolorem suum
leniat, juxta dicta superius.

11. Septima, quando times verbe-
ra, vel contumelias, vel graviter tua

interest, te non reputari defendere in-
famatum.

12. Octava, quando ex rationa-
bili verecundia vel pusillanimitate
non audes resistere, & ex alia parte in-
famia proximi non est ita gravis, ut
prudenti judicio aestimetur sub morta-
li impedienda, cum tanta tua difficulta-
te. Hæ sunt causæ excusantes.

13. Cum ergo potes resistere, vel
dictis, monendo infamantem, vel fa-
ctis, ostendendo signa tristitiæ, disce-
dendo à loco, sermonem alio trans-
ferendo, &c. tunc obligaris, hæc præ-
stare, quando ab his præstandis nulla
ex prædictis excusationibus favere ti-
bi potest. Ex quibus colligis, ra-
rissimè, quando est tibi superior,
qui obloquitur raro, quando est aqua-
lis, adesse obligationem hæc faciendi,
quia raro aliqua ex his excusationibus
non intercurrit.

14. Porro, quarta excusatio, quan-
do nimirum advertis, tuam monitio-
nem minus profuturam, sic magis ac
magis illustratur; est enim operæ pre-
tium aliquando, ut potius taceas, quàm
obstas detrahenti, idque propter
maius bonum infamati; non raro
enim melius huic consules permitten-
do detractorem vsque ad finem pro-
gredi, quàm illam abruptando; si
enim abruptares, remanerent audi-
tores cum illa cognitione confusa nar-
rati ex parte criminis, quod fortasse
non erat tantæ gravitatis, quantam pa-
rit cognitio illa incompleta, & fortasse
aliqua circumstantia sub finem nar-
randa alleviabit crimen. Præte-
rea sæpe vsu venire solet, ut quia
tu resistis, maiore contentione de-
trahat

B b b b

trahat

tractor à tua reprehensione offensus
proximi crimen inculcet. Denique
id quod detrahens obloquitur, faci-
lius aliquando reparari postea poterit
absoluta detractio; commodius enim
audiens poterit narrationis falsitatem
insinuare.

15. Quinta verò excusatio, qua
omniū est potissima, & maximè com-
munis ad excusandum privatas perso-
nas, audientes detractioem, sic illu-
stratur à Bonacina *d.* Ex dictis col-
ligitur, privatas personas sæpius ex-
cusari à mortali, non obstando de-
tractioni; tum quia sæpe non est spes
fructus, tum quia audiens non debet
in dubio præsumere loquentem ma-
lum, nisi habeat sufficientes conjectu-
ras in contrarium; & cum ipse ne-
sciat, an delictum, quod ab alio nar-
ratur, sit publicum, vel occultum, &
verum iustè narretur, non peccat,
non obstando narrationi; fieri
enim potest, ut iustè narretur, &
& consequenter faciat injuriam, nar-
ranti obstando, ac si corripere de-
peccato, quod nescit, esse peccatum.
Hæc Bonac.; sed quid si dubitet de
injustitia narrationis? respondeo, ne-
que posse corripere, quia in dubio qui-
libet est præsumendus bonus, ut dixi
supra *e*, quem locum omnino recole;
multum enim facit ad hoc argumentū.

*d. Bonac. l. c. n. 8. e Sup. li. 1. in
Dec. c. 2. §. 7. V. Detraçtio.*

16. Octava denique excusatio, ma-
ximè pro timoratis, & scrupulosis, sic
explicatius proponitur à Delugo *f.*
Quandonam proximi damnum tale
sit, ac tantum, ut debeas propriam
verecundiam contemnere, pendet ex

varijs circumstantijs & materijs, gra-
vitate damni, gravitate tui ruboris,
&c. quod in scrupulosis latius mul-
tò interpretandum communiter est,
quia ipsi ex hac obligatione impe-
diendi detractioes, longè gravius
detrimentum subeunt, quàm alij;
tum quia propter scrupulos nesciunt,
in praxi discernere casus, in quibus
habent obligationem impediendi, ab
ijs, in quibus non habent, atque adeo
imponunt sibi gravissimum onus,
nempe procurandi impedire, quoties
conscientia scrupulosa urget ad im-
pediendum; tum quia, etiam quan-
do re vera esset talis obligatio pro
alijs, ipsi tamen cum scrupulosi exi-
stimentur, putantur id facere ex scru-
pulo, & facilius despiciuntur, & co-
guntur maiorem alijs ruborem &
molestiam subire; quare ij rarissimè
tenentur sub mortali, ad consulendū
famæ proximi, cum tanto suo incom-
modo & molestia. Hæc ille prudenter,
*f. Delugo de lust. t. 1. d. 17. sec. 2.
num. 129.*

§. VIII.

*De ludente honorem alterius, ejusque re-
stitutione.*

1. Obligatio restitutionis honoris
adeo est affinis prædictæ resti-
tutioni famæ, ut hic merito
fuerit adnectenda. Honor, qui ex S.
Thoma *4* est testificatio quædā excellen-
tiæ alterius, tribus lædi solet modis: &
quidē ex genere suo, (nisi excuset parui-
tas materiæ vel indeliberatio) mortali-
ter; primo, per contumeliam verbis vel
signis

signis illatā, siue absenti, quod vocant convitium, siue præsenti, quod vocant improperium. Vtrumque enim honorem alterius imminuit, licet gravius, ut per se patet, improperium. Et quidem: si ex intentione lædendi honorem, erit contumelia formalis; si non ex hac intentione, sed fiat tamen id, quod honorem re ipsa lædat, erit contumelia materialis: irrisio, illusio, sublatio, maledictio, quando lædunt honorem, parum inter se differunt, & huc pertinent. Secundo lædatur honor per injuriam corporalem, ut percutiendo baculo; impingendo alapam, abscindendo aures &c. tunc enim præter læsionem corporis, læditur & honor, cum per illa tractetur quis ut latro, ut infamis &c. tertio lædatur item mulierum honor fraude, vel inducendo illas ad stuprum, adulterium, vel simile crimen.

a *S. Thom. 2. 2. q. 108. art. 1. ad 2.*

2. Porro de stupro, adulterio & similibus diximus b satis in præcepto sexco. De injuria corporali, quatenus lædit corpus, diximus præcepto quinto c: de læsione per contumeliam, siue verbis, siue factis, plura dixi in opusculo de confessione d, qua ratione scilicet contumeliæ vnico contextu, vel in multis jactæ sint vnum peccatum. & quo modo differant, si jactantur contra parentes, consanguineos &c. & alia non dissimilia. Vnum igitur aut alterum, quod ibi prætermisimus, hic subdamus.

b *sup. l. 7. c. sup. l. 6. d in opusculo de Confess. l. 2. c. 9. §. 1. & locis ibi citatis.*

3. Omnes injuriæ contra famam sunt ejusdem speciei moralis; unde non differunt, quantum ex hoc ca-

pite, injuriæ contra honorem.

4. Dixi (quantum ex hoc capite) nam aliunde potest adjungi alia species culpæ. Si enim prævides, magnam commotionem ad vindictam in eo, quem illudis, addes peccatum scandalii; si irrideas aliquem, quia actum Christianæ virtutis exercuit, peccas etiam contra Religionem; si illudas Patri, vel Deo, eris etiam impius & blasphemus: si contumeliam facis occidendo, mutilando, virginem deflorando, consanguineam prostituendo, erit ultra contumeliam, peccatum homicidii, stupri, incestus &c.

6. Quoniam verò certum est, deberi omnino restitutionem honoris ablati, seu (ne fiat calumnia in modo loquendi) deberi satisfactionem illi, cuius honor per injuriam læsus est, inquiri solet, qua ratione is restituendus sit, præscindendo à damnis temporalibus, quæ fortè ex contumelia directè & per se subsecuta sunt? hæc enim, in bonis similibus temporalibus esse restituenda, nullus dubitat.

Respondeo cū hæc restitutio nō sit, nisi satisfactio quedā, quā debet recipere læsus, illa satis erit dd & requiretur, quæ secundū gravitatē injuriæ, & dignitatē personæ satisfaciens, consuetudinē patriæ, & alias circumstantias occurrentes, judicatur à prudenti sufficere. Aliquādo (ut in contumelijs nō magni momenti, & in contortis à superiore) sufficet amica salutatio, vel loci honorifici concessio; aliquādo necessaria erit invitatio ad mensā, aliquādo laudatio apud eos, coram quibus læsus fuit honor &c.

dd *Less. Bonac. loco mox citand. & passim.*

Bbbj 2

6. Potif-

6. Potissima est, & sufficiens, saltem ante sententiam Iudicis, etiam pro gravissimis offensis, humilis petitio veniæ, priuata vel publica, juxta conditiones privatae vel publicae culpæ; nec necessario addenda est genuflexio, quia hæc nimis excedens satisfactio est.

7. Mera familiaritas, seu familiaris consuetudo cum eo, cum quo familiariter agere solebas, nisi addantur alia arctioris familiaritatis signa, non sufficit ad satisfaciendum honori læso, quia communis illa, & consueta familiaritas exhibetur à læso, ob vitandum scandalum, ob declinandas maiores inimicitias, ob consuetum modum vi-

vendi, non verò ad injuriam refarciendam.

8. Denique Superiorem & virum nobilem non obligo ad petendam dictam veniam ab inferiore, vel plebeio, quia poterit alia æqualis satisfactio, per alia signa æquivalentia his dari, quam æqualem satisfactionem non semper possunt pares in se, vel inferior resperire Superioris; nam propterea pro his veniæ petitio interdum merito superaddenda est. Aliqua alia minutiora lege apud Lessium *e*, Bonac *f*, alios.

e Less. l. 2. c. 11. du. 27. *f* Bonac de rest. in par. d. 2. q. 5.

Finis Libri Noni.

LAVS DEO, BEATISSIMÆ
VIRGINI, AC B. ALOYSIO.



LIBER